EDICTVM PERPETVVM

ADRIANEVM

GVILELMI RANCHINII

OPERA

RESTITVTVM.




PARMAE

EX REGIO TYPOGRAPHEO

cIↃ. IↃcc. LXXXII

CVM APPROBATIONE.



EXCELLENTISSIMO . SAPIENTISSIMOQVE . VIRO

NICOLAO . PECCIO

PATRICIO . SENENSI . EQVITI . ORDINIS . DIVI . STEPHANI

IMPERATORIS . PII . INVICTI . FELICIS

IOSEPHI . II

ET . APVD . REGIVM . PRINCIPEM . INSVBRIAE . MODERATOREM

FERDINANDVM . AVSTRIVM

AD . CONSVLTA . ET . RESCRIPTA

PRAECLARE . DE . TICINENSI . ATHENAEO . PROMERITO

EDICTVM . PERPETVVM . ADRIANEVM

STVDIO . GVILELMI . RANCHINII . SCITE . RESTITVTVM

AVDITORVM . COMMODO . EVVLGATVM

INQVE . GYMNASTICIS . PRAELECTIONIBVS . PAPIENSIBVS

A . CL. IC. DOMINICO . ALFENO . VARIO . DOMO . NEAPOLIS

PANDECTARVM . IVRISQVE . FEVDALIS . ANTECESSORE

INTERPRETANDVM

HYACINTHVS . GANDINIVS

PATRONO . AC . MOECENATI . SVO . AMPLISSIMO

VENERABVNDVS . DICAT . CONSECRATQVE .

ADOLESCENTIBVS
IN R. TICINENSI ARCHIGYMNASIO
IVRISPRVDENTIAE STVDIOSIS

HYACINTHVS GANDINIVS I. C.

Ut primum intellexi, cl. antecessorem Dominicum Alfenum Varium in nostra Ticinensi Academia *Edictum Perpetuum* sibi interpretandum suscepisse, tantam coepi animo voluptatem, quantam is capit, cui res dudum exoptata contingat. Cum enim ea mihi opinio insedisset (*a*) obtenebratam potius quam illustratam fuisse Juris Civilis scientiam immodica, ne dicam infinita, Interpretum copia, non poteram quin cuperem, ac vehementer optarem, ut ab ipsis fontibus, et tam-

(*a*) Idem sensit Antonius Merillius in *Praef. ad Cod. Theodos.*, et Schultingius in *Praef. ad Juris pr. Anteiustinianeam*.

quam a capite Legum omnium cognitio peteretur, iisque addiscendis facilior inde, ac tutior juvenibus via recluderetur (*a*). Quod sane egregia cl. Alfeni Varii opera praestitum videbam, cum is, qui penitioribus litteris, cum latinis, tum graecis mirifice pollet, demandata sibi Pandectarum explanatione, hanc nonnisi ab *Edicto Perpetuo*, ex quo illae universim fere prodierunt, sibi arcessendam proposuit, atque decrevit.

Tanti autem Viri consilium in eam me cogitationem induxit ut crederem juventutis, quae in florentissimo hoc nostro Lycaeo versatur, commoditati me consulturum, si Edictum ipsum

(*a*) Edictum Perpetuum Juliani *fons omnis Juris tum publici, tum privati, quod iis libris praescriptum nobis reliquit Justinianus recte dici potest, quod de Legibus XII Tab. scribit Livius*. Franciscus Duarenus *Disp. Annivers.* lib. I cap. 55. Edictum Perpetuum, *ut recte jampridem observarunt viri doctissimi veluti fundus est Jurisprudentiae nostrae*. Heineccius Jo. Gottlieb. ad Hist. Edict. Perp. lib. I cap. I pag. 4 §. I.

jam a Guilelmo Ranchinio J. C. restitutum (*a*), sed nobis minus obvium novis typis vulgandum aggrederer. Id vero, cum amplissimi, atque immortalis memoriae viri Comitis CAROLI FIRMIANI calculo probatum comperissem, et tantum honoris assecutus essem ut opus NICOLAI PECCII, cui nostra haec Litterarum sedes tam multa, ac magna debet, praeclarissimo nomine inscriberem, illud maxima statim alacritate suscepi.

Non deerunt fortassis aliqui, qui opus a me susceptum parvi pretii, et fere ineptum arbitrentur, et dictitent. Quos ego id unum rogatos velim, ut non ante me reprehendant quam *Edictum Perpetuum* quid, et quale sit bene, naviterque perpenderint. Interim liceat mihi de ipso Edicto non-

(*a*) *Opus sane magnum*, inquit Heinec. Jo. Christ. in praef. tom. VIII operum Jo. Gottlieb. edit. Genevae 1771.

nulla praefari, quae ejus usum, atque utilitatem commonstrare, aut constabilire sufficiant.

Notum est Regibus Romae imperantibus nullas fuisse certas leges, sed populi jus a Regum arbitrio ac voluntate repeti consuevisse (*a*), donec tandem, patriciis a plebe dissidentibus anno V. C. cccI, tribusque Legatis in Graeciam missis, qui ex Graecis urbibus jura describerent, xII Tabulae sunt concinnatae (*b*). Quum ve-

(*a*) Lege 2 §. 1 D. *De orig. Juris*. Tacit. *Annal.* lib. 3 cap. 26. Leges aliquas tulisse Romulum, Numam, Tullum, aliosque Reges, testes sunt Dionys. Halicarn. *Antiq. Rom.* lib. 3 cap. 50, lib. 10 cap. 1. Livius *Hist.* lib. 1 cap. 32 et 44. Hujusmodi Leges seu Edicta Tarquinio Prisco regnante a Papyrio compinatae, Jus Papirianum constituerunt. Sed Leges Regiae postea abrogatae sunt Lege Tribunitia, ut dicta l. 2 §. 3 ait Pomponius: quaedam tamquam consuetudines servatae sunt, et postea in xII Tab. locum habuerunt. Vid. Heinecc. loc. citat. cap. 3 §. 4, 5. Pothier *Pandect. Justin.* praef. cap. 1 §. 1.

(*b*) Quod jus Decemvirale appellatum est, quia Decemviris ea cura demandata fuerat. Dionys. Halic. lib. 2 cap. 4. Pothier loc. cit. §. 2.

ro Leges illae non sufficerent, et nova quotidie emergerent, quibus esset consulendum, ea facultas Romae Decemviris primum, Pontificibus Maximis postmodum, et omnibus tandem, qui publicis honoribus fungebantur concessa est, ut possent singuli de rebus, quas curandas susceperant praecepta ac mandata promulgare. Haec autem *Praetorum Edicta* fuerunt appellata (*a*). Neque id juris Consulibus tantum, atque Imperatoribus bella administrantibus tributum est, sed illis praecipue Magistratibus, qui jura reddebant, ut ea eorum *Edictis*, qua de re quisque dicturus esset civibus pateret (*b*). Quod jus edicen-

(*a*) Praetoris appellatio apud Romanos communis ab initio fuerat omnibus summis Magistratibus. Consul v. g. Praetor dictus quod praeiret jure et exercitu. Varro *De Lingua Lat.* l. 4 c. 14, 16. Postea Praetores Romae dicti sunt, qui in urbe jus dicerent. Dion. Halic. l. 2 c. 14, l. 5 c. 82. V. Pothier l. cit. c. 3 §. 1.

(*b*) Lege 2 D. *De orig. Jur.* §. 10. V. Heinecc. *Hist. Edict. Perpet.* lib. 1 c. 1 §. 3, 4.

di, cum honori, quo praefulgebant Magistratus conjunctum esset, ipsique Magistratus *Honorati* appellarentur, dictum est jus *honorarium* (*a*).

Verum, quum nihil adeo sanctum sit in Republica, quod nequeat hominum improbitate in malum usum deduci, factum est, iniquis civibus Praeturam administrantibus, ut ex juris honorarii abusu, non solum nova, et contraria Edicta singulis annis proponerentur, unde jus ipsum fieret incertissimum; sed non raro, ut eodem anno nonnulli Praetores sua Edicta innovarent, vel ut propriis cupiditatibus, vel ut amicorum studiis obsequerentur. Id ne amplius contingeret, anno V. C. DLXXXV *L. AEmilio Paulo*, et *C. Licinio Crasso Coss.* cautum fuerat, ne Praetores jura immutarent, sed *ex suis perpetuis Edictis*

(*a*) Hoc apertissime demonstrat Heinecc. loc. cit. §. 11, 12.

jus dicerent (*a*). Sed Cons. *AEmilio* in Macedoniam profecto, *Posthumii* Tribuni Plebis opera lex frustrata est, usque dum *C. Cornelius Sulla* Trib. Pleb. anno V. C. DCLXXVI multis invitis, nemine tamen adversante, legem illam renovavit (*b*); et Praetorum Edicta perpetua facta sunt eo tamen sensu, ut possent multa ab antecessoribus consequentes Praetores transcribere, nonnulla ipsi addere, sed ubi suum Edictum promulgassent, toto Praeturae tempore illo uti, nec ab eo, vel minimum discedere compellerentur.

Fieri non potuit quin lapsu temporis Praetorum Edicta sese vicissim excipientia in ingentem molem excre-

---

(*a*) Ex Steph. Vin. Pighio. *Annal. Rom.* tom. 2 p. 378. Reinerio *Inscript. clas.* 4 n. 2, et Henr. Dodwello *Praelect. Cambdenianarum* in fine hoc demonstrat Heinecc. loc. cit. l. 2 c. 1 §. 2.

(*b*) V. Cujac. lib. 8 respons. pag. 360 col. D. E. edit. Lut. Paris. 1658. Duarenus Francisc *Disp. Anivers.* lib. 1 c. 55. Heinecc. §. 5 c. 1 lib. 2 cit.

scerent. *C. Ofilius* vero, Julii Caesaris auspiciis, primus, teste Pomponio, collectis in unum Praetoriis Edictis omnibus, *Perpetuum Edictum* composuerat (*a*), quod publicam fortassis auctoritatem nactum esset, Caesare diutius incolumi, ac superstite, aut minus acriter adversantibus iis, qui tunc temporis Magistratus gerebant. Verum quod Rempublicam gubernante Caesare non evenerat feliciter cessit HADRIANO AVG. imperante, qui sese in omnibus, ne externo quidem cultu semoto, *Numam Pompilium*, imitari profitebatur (*b*). Cum enim,

(*a*) Leg. 2 D. *De orig. Jur.* §. 44. V. Dodwel et Heinecc. loc. cit.

(*b*) Edictum perpetuum non Antonino Pio, neque Didio Juliano, ut aliquibus visum est, sed Hadriano Imperatori nos debere, certo certius est. V. Eutrop. l. 8 c. 9, Leo Imp. procm. Βασιλικῶν. Diocl. et Maxim. leg. 7 Cod. *De incol.*, Matth. Blastares in *Hist. Jur.* apud J. A. Fabric. Bib. Graec. vol. 12, Heinecc. *Hist.* cit. l. 2 c. 2 §. 1, 2. Augustus etsi Edicta plurima jusserit, in comitiis plerumque ea

libertate sublata, jura omnia paulatim Augusti Principes sibi vindicassent, et Edicta condendi auctoritas in ipsos quoque migrasset, Hadrianus pro temporum ratione plurima jusserat, quibus, tum veteribus immutatis, tum novis constitutis legibus totum fere jus renovaverat. Inde autem ne jura amplius interverterentur, *Salvio Juliano* V. cl. Mediolanensi (*a*), tunc temporis Praetori manda-

proponebat, ut suffragiis a Populo confirmarentur: Tiberius in Senatu aut per Quaestores, aut sua oratione tamquam Senatusconsulta confirmari voluit; ideoque vel tamquam Senatusconsulta, vel tamquam Plebiscita, libertatis specie habebantur. Boëkelen. *De orat. Princip.* Brisson *Antiq. select.* 1, 1, 16. Scip. Gentil. *De Leg. Reg.* p. 88. Sed Hadriani tempore Senatusconsulta fere in dessuetudinem abiere; et plurima Edicta ab Imperatoribus facta sunt. Hinc in Codice Justinianeo Constitutiones Hadriano antiquiores non reperiuntur. V. Heinecc. l. 1 c. 9 §. 2, 3 loc. cit., et Pothier pag. 6 c. 2 §. 2.

(*a*) Mediolanensibus Julianum reddidit cl. antecess. Ticinensis *Bassianus Bigonius* in suis schedis ad Jus pertinentibus, de quo plura non dicam, ne nimis pauca semper dicere videar.

* *

vit (*a*), ut omnia, quae adhuc erant in usu fori *Edicta* uno libello complecteretur, eaque certo ordine digereret, detrahendo, immutando, addendo ea quae aequa esse viderentur. Hujusmodi opus *Edictum Perpetuum* appellari voluit, quod scilicet, et perpetuo esset duraturum, et ipso tamquam perpetuo atque immutabili Praetores uti deberent (*b*). Quum autem et tanti Principis auctoritate, et SC., quod *Edicto* praemissum fuerat, firmatum esset, ut illud tamquam regula ab omnibus haberetur in juredicundo (*c*), publici Juris postea auctorita-

(*a*) Ita videtur Heineccio §. 4 c. 2 l. 2 cit. Aquitaniae Gubernatorem Salvium eo tempore fuisse ait Terasson Anton. *Hist. de la Jurisprud. Rom.* part. 3 §. 3 uterque censet, Edictum Provincialem quoque eundem compilasse, de quo Caii comm. fragm. extant.

(*b*) V. Jacob. Gotthof. *Hist. Jur. Civ. Rom.* pag. 1248 in op. Jurid. minor. edit. Lugd. Bat. 1733, et Cujac. lib. 8 respons. p. 360 edit. cit.

(*c*) Lege 2 §. 18 Cod. *De vet. jur. enucl.* Lege *Si quis servum* Cod. *De condict. indebit.* Justinian. in Constit. ad Senat. *De confirm. Digest.* §. 18.

tem est consecutum, adeo ut *Septimius Severus* Imp. frustra illud abolere tentaverit (*a*), et Constantinopoli, Beryti, in urbe tamquam Romani Juris compendium in scholis ab antecessoribus, adolescentulis Juris studiosis explicaretur (*b*).

Celeberrimi deinceps Jurisconsulti in eo suam operam posuerunt, ut *Edictum Perpetuum* explanarent, suisque illud Commentariis illustrarent, quotquot veneramur tamquam oracula in Digestorum collectione, *Paulos*, dico, *Ulpianos*, *Pomponium*, *Cajum*, et alios, quousque tandem Imperator *Justinianus* novo prorsus ordine, ad sui tamen Codicis constitutionem, et ad *Edicti Perpetui* imitationem (c), excogitato immortali Pan-

(*a*) Spartianus in *Vita Severi*.

(*b*) Justinianus in Constit. *Omnem Reip.* §. 1 ad antecess. V. Heinecc. l. 2 c. 2 §. 13 lib. cit.

(*c*) Lege 1 §. 5 Cod. *De vet. Jur. enucl.* §. 6. Constit. *De concept. Digest.* Pandectas juxta *Edict*

dectarum opere, cuncta JC. responsa, quae ad Jus Romanum spectabant, quinquaginta libris per Tribonianum digessit, vetuitque, ne *Jurisperiti in posterum commentarios illi applicare, et verbositate sua supradicti Codicis compendium confundere auderent* (*a*).

Quae cum ita sint, quis non videt, *Edicti Perpetui* scientiam, ne dum perutilem, sed necessariam quoque futuram omnibus, qui cupiunt in Romana Jurisprudentia proficere? *Si enim ad veram Civilem sapientiam illud est maxime necessarium*, ut ait cl. Antonius Schultingius (*b*), *res quasque quam altissime posse re-*

Perpetui ordinem fuisse dispositas veteres Jurisconsulti, et cum iis Alciatus, Viglius, Duarenus, Gothofredus, Heineccius ipse censuerunt; ordinem vero plane diversum fuisse probat Van-Binkersohek. Cornel. *Observat. Jur. Rom.* lib. 2 c. 25.

(*a*) §. 12 Constit. *De concept. Digest.*

(*b*) Cit. Praef. ad Jurisprud. Antejustinian.

petere: Et cum jura civilia non omnia simul ac semel enata et absoluta fuerint , sed primo ortum , dein tempore et rerum usu ita volente frequenter incrementa , mutationes , et nonnisi sensim perfectionem acceperint , eorum occasiones, causas, origines, progressus, vicissitudines, consummationes comperta habere ; quid exoptare possumus, vel antiquius *Edicto Perpetuo*, quod prima Praetorum scita complectitur, vel clarius iis tabulis, quae eosdem sensus, easdemque verborum conceptiones continent, quibus leges a Praetoribus latae sunt, vel purius eo fonte, ex quo jura, quibus utimur ferme omnia, sapientissimorum hominum judicio fluxerunt? Quis vero creberrima illa, quae passim in Pandectis occurrunt Jurisconsultorum ad Edictum responsa, credet se posse intimius percipere, nisi prius cumulatam *Edicti Perpetui* notionem

sibi comparaverit? Quis de iisdem Jurisperitorum placitis rationem se reddere posse arbitrabitur, si non animo combiberit optima illa Philosophiae principia, ex quibus quid aequum, quid iniquum esset veteres Romanae prudentiae Patres argumentabantur (*a*)?

Possem bene multa sapientissimorum Virorum de *Edicti Perpetui* praestantia, atque utilitate testimonia congerere. Sed quod habet perspicua suae utilitatis argumenta non mihi videtur aliorum commendatione, ac suffragiis indigere (*b*).

In hac, quam Ranchinium secutus exhibeo *Edicti Perpetui* editione non invenient adolescentes Juris studiosi adnotationes, quas in sua Pandectarum Justinianearum editione R. J. Pothier Edicto adposuit. Nolim eos

---

(*a*) Duarenus Franciscus *Disp. Annivers.* l. 1 c. 55 de Pandect. composit. ordin. ac methodo.

(*b*) Qui ea desiderat adeat Heineccium, qui illa omnia collegit, praeposuitque *Edict. Perpet.*

de his adnotationibus a me praetermissis conquereri, mihique succensere. Sciant propterea adnotationes illas multis disquisitionibus locum praebere, ideoque, ne longiori operi, ac minus opportuno tempus tribuerem, a me consulto praetermissas. Sciant insuper cl. V. Dominicum Varium in *Edictum Perpetuum* Commentarios scribentem non fuisse in iis rebus praeoccupandum, quas ego ingenue, libenterque ab ipso me didicisse profiteor.

Itaque satis mihi est hunc librum, quam fieri potuit, emendatissimum, et typographico nitore (*a*) commendatum in lucem emittere. Spero fore ut Ticinensis Academiae Candidati mihi gra-

(*a*) Laude sua non frustrabor Virum de Arte Typographica benemeritum Jo. Baptistam Bodonium, Hispaniarum Regis Catholici Typographum, cujus solertia jam efficitur, ut quae trans alpes, quae trans mare sunt Typographicae officinae minus nobis sint invidendae.

tiam habeant, quod opus non commune, ipsis vero perutile, ac necessarium, meis sumptibus cudendum, ac evulgandum curaverim. Si ipsi, qui Papiam modo, tamquam ad mercaturam bonarum artium veniunt, aliquid per me utilitatis perceperint, amplissimum me laboris fructum retulisse gloriabor. Nihil enim optabilius, nihil gloriosius homini duco, quam ut ingenii, si quas habet, et industriae vires ad aliorum commoda, atque utilitates convertat.

DOMINICI ALFENI VARII

I. C. *

PRAEFATIO.

Supra omnium gentium imperia, quae hucusque obtinuerunt illud eminuisse constat, quod sibi summa virtute, Populus Romanus paravit. Nam quum belli artibus floruisset, finitimis, remotisque populis bellum indixisset, eosque vicisset; ut ab ortu solis ad occasum, omnia domita armis sibi paruissent: quaeque parta labore quaesivisset, in maxima tranquillitate, a legibus repetita, servabat. Etenim quum de magnitudine ejus imperii cogito, quae artes in tanto parando, augendoque imperio praevaluissent; an belli gloria, vel ipsi gravissimi sanctissimique Civium mores, an

(*) Decem abhinc annis cl. V. hanc edidit Neapoli, cum Vinii Commentaria in Institutiones Imperiales una cum *Edicto Perpetuo* recuderentur per Dominicum Terres.

* * *

sanctitas illa, et prudentia legum: omnia ad unum, extra omne discrimen, collimasse videntur. Labente paulatim disciplina, sensim a virtute deflexere animi, desides inde mores ruere praecipites; at Imperium in tanta rerum vicissitudine, corruptis deinde moribus, animisque debilitatis, constantissimis tamen legibus suffultum, perduravit. Idem sub immanissimis etiam Imperatoribus, qui jus, nefasque confundentes, ac toto conatu ad perdendam Rempublicam agitantes, inconcussum stetit. Quid ego commemorem Praetorianas cohortes, quae saepissime in Imperatorem impetu facto concurrentes, jugulabant Orbis terrarum Principem? Post eam cladem Imperium ad justas rationes redibat. Magna contentione animorum concertantes Principes Civitatis, Ducesque exercituum ad Imperium capessendum, tanto strepitu, fragoreque, ut Orbis terrarum quateretur, Imperium non corruit. Qua de re jure affirmabo, majestatem legum magnam molem Imperii bello, corruptela, intestinisque rumoribus concussam sustinuisse. Quod ego ne omen rei

praeteritae gerere videar, fortassis nisi ab Urbe Roma ad Byzantium Imperium transfretasset, perdurasse etiamnum, conjiciam. Accidit ei ut arbori, quae solo sata, et alta, si avulsis radicibus supplantetur, et alium in locum transferatur, macrescit primum, deinde arescit, ut praecidatur; Imperium Romanum ad Byzantium translatum, impetu in unam Italiam facto a Barbaris, corruit, quaeque ad Byzantium essent reliquiae, ingruentibus Tartaris, succisae sunt: illud reliqui tantae molis, memoria. Urbem olim fuisse victricem Orbis; Populum eximiae virtutis. Iis in ruinis cecidere praecipites et leges ibique consepultae. Certo quodam fato sexcentis post annis effossae, et inventae venerunt in diem; quarum ob sanitatem, prudentiamque, Populus omnis Occidentis, quum eas recepisset, moresque in iis conformasset suos, judicia restituisset: studia aemulantes primo Itali, mox Galli, et Hispani, postremo Germani, et Batavi ad eas poliendas, instaurandasque maximo conatu connisi sunt. At in tanta legum mole, quum viam quandam

Justinianus Imperator scriptis Institutionibus fecisset; Magistri, Doctoresque quamplures eas in Gymnasiis proponentes, commentariis onerarunt; sperantibus inde bonis viris omnibus, et conclamantibus: Dii meliora. Ecce Arnoldus Vinnius in Leydensi Studiorum Universitate Professor venit; scriptis ad eas Institutiones commentariis, tantaeque bonae frugis refertis, ut ad eum omnes uno consensu accesserint: omnibus etiam, qui perpetua successione docendi causa Institutionum Libros sunt interpretati, Vinnius vates fuit, atque magister. Ut si potis haberent Doctores tamquam Philosophorum disciplinae, ex ipsis vocabula, omnes Vinniani dicerentur. Quos commentarios quum apud nos puros, atque integros, quemadmodum ex inclyti Auctoris manu prodierant, Dominicus Terres recuderet, et per hos post exactum scholasticum disciplinarum civilium cursum, iter ad summa studia inventus auspicetur, ad Edictvm *usque* Perpetvvm, *quod summum hujus scientiae fastigium est, per Jurisconsultorum interpretationes transeundo quasi per gradus: pu-*

tavi EDICTI PERPETVI *fragmenta Vinnii commentariis adjicere, ut quo eundum, cuique pateret. Haec sunt publica Praetorum scita, quae Populus Romanus accepit, quum esset aetate integra, quum et belli gloria, et sanctissima morum disciplina floreret. In haec Edicta confluxere optima Decemviralium legum instituta, Senatus etiam decreta, cujus consiliis in magnitudine periculorum Populus Romanus se erexit. His monimentis fortiter facta gravissimorum Civium continentur, ut ad exemplum adducerentur, ad formam legum expressa sunt. Convenere Philosophorum Graecorum dogmata, amputatis disputationum concertationibus, in legem versa, ut harum legum nutu componeretur animus. Haec est illa praepotens, et gloriosa Philosophia, ut Cicero ait. Tanti fuit ad hujus Edicti custodiam Populi Romani religio; ut quum pene eversa Republica, defoedatisque moribus, prurientes Praetores nova Edicta proponere C. Balbus Tribunus Plebis, quem Cicero defendit, legem tulit, ut Praetores dehinc ex Perpetuis Edictis jus dicerent, ne per nova proposi-*

ta, vetera obliterarentur, vel imminuerentur. Tanti momenti in agenda, ordinandaque Republica quum essent, optimus Imperator Hadrianus, Salvio Juliano negotium dedit, ut in unam seriem Edicta congereret, quibus PERPETVI EDICTI *nomen dedit. Has Edicti lacinias Gulielmus Ranchinus collegit, ut et inscriptio suadet, et praefatio quae sequitur. Edidere Cujacius, Vinnius alibi, Meermanus, aliique: Volui hoc etiam loco illud adjicere, ut ejus, quoad possimus, exemplaribus abundemus.*

ΚΑΙ ΟΥΧ ΗΜΕΤΕΡΟΝ ΓΕ ΤΟΥΤΟ ΛΕΓΟΜΕΝ ΜΟΝΟΝ, ΑΛΛ ΗΔΗ ΚΑΙ Ο ΠΑΝΤΩΝ ΤΩΝ ΕΝ ΝΟΜΟΘΕΤΑΙΣ ΕΥΔΟΚΙΜΗΚΟΤΩΝ ΣΟΦΩΤΑΤΟΣ ΙΟΥΛΙΑΝΟΣ ΑΥΤΟ ΤΟΥΤΟ ΦΑΙΝΕΤΑΙ ΛΕΓΩΝ, ΚΑΙ ΤΗΝ ΕΚ ΤΗΣ ΒΑΣΙΛΕΙΑΣ ΕΠΙ ΤΑΙΣ ΑΝΑΦΥΟΜΕΝΑΙΣ ΖΗΤΗΣΕΣΙΝ ΕΠΙΚΑΛΟΥΜΕΝΟΣ ΑΝΑΠΛΗΡΩΕΙΝ, ΚΑΙ ΠΡΟΣ ΓΕ ΑΔΡΙΑΝΟΣ Ο ΤΗΣ ΕΥΣΕΒΟΥΣ ΛΗΞΕΩΣ: Ο ΤΕ ΤΑ ΠΑΡΑ ΤΩΝ ΠΡΑΙΤΩΡΩΝ ΚΑΤ ΕΤΟΣ ΕΚΑΣΤΟΝ ΝΟΜΟΘΕΤΟΥΜΕΝΑ ΕΝ ΒΡΑΧΕΙ ΤΙΝΙ ΣΥΝΗΓΕ ΒΙΒΛΙΩ ΤΟΝ ΚΡΑΤΙΣΤΟΝ ΙΟΥΛΙΑΝΟΝ ΠΡΟΣ ΤΟΥΤΟ ΠΑΡΑΛΑΒΩΝ ΚΑΤΑ ΤΟΝ ΛΟΓΟΝ, ΟΝ ΕΝΚΟΙΝΩ ΔΙΕΞΗΛΘΕΝ, ΕΠΙ ΤΗΣ ΠΡΕΣΒΥΤΕΡΑΣ ΡΩΜΗΣ ΑΥΤΟ ΔΗ ΤΟΥΤΟ ΦΗΣΙΝ, ΩΣ ΕΙ ΤΙ ΠΑΡΑ ΤΟ ΔΙΑΤΕΤΑΓΜΕΝΟΝ ΑΝΑΚΥΨΕΙΕΝ, ΠΡΟΣΗΚΟΝ ΕΣΤΙΝ ΤΟΥΣ ΕΝ ΑΡΧΑΙΣ ΤΟΥΤΟ ΠΕΙΡΑΣΘΑΙ ΔΙΑΙΡΕΙΝ ΚΑΙ ΘΕΡΑΠΕΥΕΙΝ ΚΑΤΑ ΤΗΝ ΕΚ ΤΩΝ ΗΔΗ ΔΙΑΤΕΤΑΓΜΕΝΩΝ ΑΚΟΛΟΥΘΙΑΝ.

Neque hoc solum nos dicimus, sed jam omnium Juris Conditorum qui olim claruerunt, sapientissimus Julianus hoc ipsum videtur dixisse, qui ab Imperiali auctoritate in emergentibus quaestionibus invocat supplementum. Sed et Adrianus piae memoriae, qui ea quae a Praectoribus quotannis edicta fuerant, brevi complexus est libello, adsumpto ad id optimo Juliano, in oratione quam in commune habuit in seniore Roma, hoc ipsum quoque ait, ut si quid praeter id quod jam sancitum est emerserit, conveniens est, eos qui in Magistratu sunt, illud conari decidere, atque servare, ad eorum quae jam sancita sunt, exemplum ac imitationem.

GVLIELMI RANCHINI I. C.
EDICTVM PERPETVVM
AD ORDINEM DIGESTORVM
RESTITVTVM.

EX LIB. II DIGESTORVM.

DE IVRISDICTIONE.

TIT. I.

I. (*a*) In cum, eamve, qui quaeve id quod Jurisdictionis perpetuae causa in albo propositum erit, dolo malo corruperit, quinquaginta aureorum judicium dabo.

II. (*b*) Si servus aut filius corrupisse dicantur, de eadem re in solidum adversus singulos actionem dabo.

(a) L. *Si quis id quod* 7 D. eod.
(b) L. *Si familia alicujus* 9 D. eod.

III. (*a*) Si is, qui Jurisdictioni praeest, extra territorium Jus dixerit, aut de pecunia, nomine, opere locato, conducto, aut alia re, quae Jurisdictionis suae modum excedat, impune ei non parebitur.

IV. (*b*) Si Jurisdictionem suam mandaverit, ea mandata censebuntur, quae ei Jure Magistratus competunt: non vero quae Legibus, Senatusconsultis, aut Principum Constitutionibus specialiter delata fuerunt.

QVOD QVISQVE IVRIS IN ALTERVM STATVERIT VT IPSE EODEM IVRE VTATVR.

TIT. II.

I. (*c*) Quod Juris in aliquem statuerit IS . QVI . IVRISDICTIONI . PRAEEST .

(a) L. *Jus dicentis officium* 1 L. *Si idem cum eodem* 11 L. *Extra territorium* ult. D. eod. L. *Nominis appellatione* 4 L. *Rei appellatio latior est* 5, & L. *Nominis & rei appellatio* 6 D. de verb. signif.

(b) L. *Nominis et rei appellatio* 6 D. de verb. signif. L. *Et quia nec principaliter* 6 D. eod. L. *Quaecunque specialiter* 1 D. de offic. ejus cui mand.

(c) L. *Hoc Edictum summam habet* 1 et L. *Si quis iniquum* 3 et ex L. *Illud eleganter* 4 D. eod.

quodque novi Juris quis ab eo obtinuerit, eodem Jure utatur quandoque adversario postulante: PRAETERQVAM . SI QVIS . EORVM . CONTRA . EVM . FECERIT QVI . IPSE . EORVM . QVID . FECISSET

SI QVIS IVS DICENTI NON OBTEMPERAVERIT .

TIT. III.

I. (*a*) Si quis Jus dicenti non obtemperaverit, quanti ea res erit, intra annum adversus eum judicium dabitur.

DE IN IVS VOCANDO .

TIT. IV.

I. (*b*) PARENTEM . PATRONVM . PATRONAM . LIBEROS . PARENTESQVE . PATRONI ET . PATRONAE . IN . IVS . SINE . MEO PERMISSV . NE . QVIS . VOCET

II. (*c*) Si quis adversus ea fecerit, in eum quinquaginta aureorum judicium intra annum dabo.

(a) Ex Inscrip. et L. *Omnibus Magistrat.* unic. D. eod.

(b) L. *Quique litigandi causa* 4 §. 1 D. eod.

(c) L. *Quamvis non adjiciat* 11 L. *Si Libertus in jus* 12 L. *In eum, qui adversus ea* 24 L. *Si sine venia Edicti* 25 D. eod.

SI QVIS IN IVS VOCATVS NON IERIT SIVE QVIS EVM VOCAVERIT QVEM EX EDICTO NON DEBVERIT.

TIT. V.

I. (*a*) Ex quacunque causa ad eum, qui Jurisdictioni praeest, in Jus vocatus venire debet.

II. (*b*) Si quis in Jus vocatus non ierit, causa cognita, multa eum coërcebo.

III. (*c*) Si quis eum vocaverit, quem ex Edicto non debuerit, qui vocatus erit, neque sequatur, neque ducatur.

IN IVS VOCATI VT EANT AVT SATIS VEL CAVTVM DENT.

TIT. VI.

I. (*d*) In Jus vocati aut eant, aut satis vel cautum dent. Fidejussor judicio sistendi causa pro rei qualitate, locuples detur.

(a) L. *Ex quacunque causa* 2 D. eod.

(b) L. ead.

(c) Ex Inscript. et ex L. *Solutum non intelligimus* 48 D. de verb. signif.

(d) Ex Inscript. et L. *Edicto cavetur* 1 D. eod.

NE QVIS EVM QVI IN IVS VOCABITVR VI EXIMAT.

TIT. VII.

I. (*a*) Ne quis eum qui in Jus vocabitur, vi eximat, neve faciat dolo malo, quo magis eximatur.

II. (*b*) Si quid adversus ea factum fuerit, in factum judicium dabo.

QVI SATISDARE COGANTVR &c.

TIT. VIII.

I. (*c*) SI . QVIS . PARENTEM . PATRONVM PATRONAM . LIBEROS . AVT . PARENTES PATRONAE . LIBEROSVE . SVOS . EVMVE QVEM . IN . POTESTATE . HABEBIT . VEL VXOREM . VEL . NVRVM . IN . IVDICIVM VOCABIT . QVALISCVNQVE . FIDEIVSSOR ACCIPIATVR . IVDICIO . SISTENDI . CAVSA

II. (*d*) In eum, qui sciens non acceperit, quinquaginta aureorum judicium dabo.

(a) Ex Inscript. et L. *Sed eximendi verbum* 4 D. eod.

(b) L. *Si per alium quis* 5 D. eod.

(c) L. *Fidejussor in judicio* 2 §. 2 D. eod. L. *Edicto cavetur* 1 et *Item pro patrona* 2 D. in Jus vocat. ut eant.

(d) L. *Item pro patrona* 2 in fin. D. in Jus voc. ut eant.

III. (*a*) In fidejussorem, qui aliquem judicio sisti promiserit, quanti ea res erit, actionem dabo.

IV. (*b*) Possessores immobilium rerum satisdare non cogam: sed vel jurato promittere jubebo, vel suae promissioni committam.

V. (*c*) Si quis cum Romae satisdare non posset, in municipium ejus rei causa evocaverit; causa cognita ad Magistratus municipales eum remittam, ut apud eos caveat, si prius juraverit, non calumniae, aut vexandi adversarii causa se id postulare.

SI EX NOXALI CAVSA AGATVR &c.

TIT. IX.

I. (*d*) SI . QVIS . EVM . DE . QVO . NOXALIS . ACTIO . EST . IVDICIO . SISTI PROMISERIT . IN . EADEM . CAVSA . IN QVA . TVNC . EST . EVM . EXHIBERI . DONEC . IVDICIVM . ACCIPIATVR . Jubebo.

(a) L. *Fidejussor in judicio* 2 §. ult. D. eod.
(b) L. *Sciendum est, possessores* 15 D. eod.
(c) L. *De die ponenda* 8 §. 5 D. eod.
(d) L. *Si quis eum, de quo* 1 D. eod.

DE EO PER QVEM FACTVM ERIT QVOMINVS QVIS IN IVDICIO SISTAT.

TIT. X.

I. *(a)* Adversus eum qui dolo malo fecit, quominus in judicium vocatus sistat: Quanti actoris interfuerit, in factum judicium dabo.

SI QVIS CAVTIONIBVS IN IVDICIO SISTENDI CAVSA FACTIS NON OBTEMPERAVERIT.

TIT. XI.

I. *(b)* Ei qui cautionibus in urbe se judicio sisti promiserit, si de die non fuerit conventum, itineri faciundo vicena millia passuum in singulos dies dinumerari jubebo, praeter eum diem quo cautum promittitur, et in quem sistere in judicium oportet.

(a) L. *Aequissimum putavit Praetor* 1 §. 2 et L. *Ex hoc Edicto adversus eum* 3 D. eod.

(b) L. *Vicena millia passuum* D eod. L. *Urbis appellatio* 2. L. *Itinere faciendo* 3 D. de verb. signif.

II. (*a*) IN . BONA . EIVS . QVI . IVDICIO SISTENDI . CAVSA . FIDEIVSSOREM . DEDIT SI . NEQVE . POTESTATEM . SVI . FACIAT NEQVE . DEFENDATVR . IRI . IVBEBO . Eaque a creditoribus possideri permittam.

III. (*b*) Si valetudine, vel tempestate, vel vi fluminis aut quo alio justo impedimento prohibitus, sine dolo malo, se sistere non potuerit, eo nomine, causa cognita, exceptionem ei dabo.

DE EDENDO.

TIT. XIII.

I. (*c*) Actionem, qua quisque agere volet, itemque instrumenta, quibus in judicio uti oportebit, adversario edere cogam sine die et Consule.

II. (*d*) ARGENTARIAE . MENSAE . EXERCITORES . RATIONES . QVAE . AD . SE . PER

(a) L. *Praetor ait* 2 D. quibus ex caus. in poss. eat. L. *Creditores accipiendos* 10. L. *Creditorum appellatione* 11. L. *Ut si cui ex empto* 12 D. de verb. signif.

(b) L. *Non exigimus* 2 §. 2 et seqq. L. *Sed et si quis rei* 4 D. eod.

(c) L. *Qua quisque actione* 1 D. eod. L. *Verbum, oportebit* 8 D. de verb. signif.

(d) L. *Praetor ait* 4 et L. *Quaedam sunt personae* 9 §. 3 h. t.

TINENT . EDERE . DEBENT . ADIECTO . DIE ET . CONSVLE . IIS . OMNIBVS . QVI . ID POSTVLABVNT . SI . PRIVS . IVRAVERINT NON . CALVMNIAE . CAVSA . PETERE

III. (*a*) ARGENTARIO . EIVE . QVI . ITERVM . EDI . POSTVLAVERIT . CAVSA . COGNITA . EDI . IVBEBO

IV. (*b*) Si quis dolo malo non ediderit, quanti agentis intersit non edidisse, causa cognita in eum actionem dabo.

DE PACTIS.

TIT. XIV.

I. (*c*) PACTA . CONVENTA . QVAE . NEQVE . DOLO . MALO . NEQVE . ADVERSVS LEGES . PLEBISCITA . SENATVSCONSVLTA EDICTA . DECRETA . PRINCIPVM . NEQVE QVO . FRAVS . EORVM . CVIQVAM . FIAT FACTA . ERVNT . SERVABO

(a) L. *Si quis ex Argentariis* 6 §. 8 D. eod.

(b) L. ead. §. 4 L. *Ubi exigitur argentarius* 8 L. *Argentarius* 10 §. 2 D. eod.

(c) *Juris gentium conventiones* 7 §. 7 D. eod.

EX LIBRO III.

DE POSTVLANDO.

TIT. I.

I. (*a*) Minorem annis decem et septem, qui eos non in totum complevit: surdum quoque qui prorsus non audit: in totum postulare veto. SI . NON . HA BEBVNT . ADVOCATVM . EGO . DABO

II. (*b*) Mulier, caecus, corpore suo muliebria passus, capitali crimine damnatus, is etiam, qui operas suas, ut cum bestiis depugnaret, locavit, pro aliis in Jure apud me ne postulent.

III. (*c*) QVI . LEGE . PLEBISCITO . SE NATVSCONSVLTO . EDICTO . DECRETO . PRIN CIPVM . PLACITO . NISI . PRO . CERTIS PERSONIS . POSTVLARE . PROHIBENTVR . HI PRO . ALIO . QVAM . PRO . QVO . LICE

(a) L. *Hunc titulum Praetor* 1 §. 3 et 4 D. eod.
(b) L. ead. §. 5 seqq. D. eod.
(c) L. ead. §. 8 D. eod.

BIT . IN . IVRE . APVD . ME . NE . PO STVLENT

IV. (*a*) QVI . EX . OMNIBVS . HIS . QVI SVPRA . SCRIPTI . SVNT . IN . INTEGRVM RESTITVTVS . NON . ERIT . PRO . ALIO NE . POSTVLET . PRAETERQVAM . PRO . PA RENTE . PATRONO . PATRONA . LIBERIS PARENTIBVSQVE . PATRONI . ET . PATRO NAE . LIBERIS . SVIS . FRATRE . SORORE VXORE . SOCERO . SOCRV . GENERO . NV RV . VITRICO . NOVERCA . PRIVIGNO . PRI VIGNA . PVPILLO . PVPILLA . FVRIOSO . FV RIOSA . FATVO . FATVA . CVI . EORVM A . PARENTE . AVT . DE . MAIORIS . PAR TIS . TVTORVM . SENTENTIA . AVT . AB EO . CVIVS . DE . EA . RE . IVRISDICTIO FVIT . EA . TVTELA . CVRATIOVE . DA TA . ERIT

DE IIS QVI NOTANTVR INFAMIA.

TIT. II.

I. (*b*) INFAMIA . NOTATVR . QVI . AB EXERCITV . CAVSA . IGNOMINIAE . AB . IM

(a) L. ead. §. 9 et ult. L. *Fatuo, fatua* 2. L. *Cui eorum a parente* 3 D. eod.

(b) L. *Praetoris verba* 1 D. eod.

PERATORE . EOVE . CVI . POTESTAS . DE
EA . RE . STATVENDI . FVERIT . DIMIS
SVS . ERIT . QVI . ARTIS . LVDICRAE
PRONVNCIANDIVE . CAVSA . IN . SCENA
PRODIERIT . QVI . IN . PVBLICO . IVDI
CIO . CALVMNIAE . AVT . PRAEVARICA
TIONIS . CAVSA . QVID . FECISSE . IVDI
CATVS . FVERIT . QVI . FVRTI . VI . BO
NORVM . RAPTORVM . INIVRIARVM . DE
DOLO . MALO . ET . FRAVDE . SVO . NO
MINE . DAMNATVS . ERIT . AVT . PACTVS
FVERIT . QVI . PRO . SOCIO . TVTELAE
MANDATI . DEPOSITI . SVO . NOMINE . NON
CONTRARIO . IVDICIO . DAMNATVS . ERIT
QVI . EAM . QVAE . IN . POTESTATE . EIVS
ESSET . MORTVO . GENERO . (CVM . EVM
MORTVVM . ESSE . SCIRET .) INTRA . ID
TEMPVS . QVO . ELVGERI . VIRVM . MO
RIS . EST . ANTEQVAM . VIRVM . ELVGE
RET . IN . MATRIMONIO . COLLOCAVERIT
EAMVE . SCIENS . QVIS . VXOREM . DV
XERIT . NON . IVSSV . EIVS . IN . CVIVS
POTESTATE . EST . EAMVE . DE . QVA
SVPRA . COMPREHENSVM . EST . VXOREM
DVCERE . PASSVS . FVERIT . QVIVE . SVO
NOMINE . NON . IVSSV . EIVS . IN . CV

IVS . POTESTATE . ESSET . EIVSVE . NO MINE . QVEM . QVAMVE . IN . POTESTA TE . HABERET . BINA . SPONSALIA . BI NASVE . NVPTIAS . EODEM . TEMPORE CONSTITVTAS . HABVERIT

DE PROCVRATORIBVS.

TIT. III.

I. (a) PROCVRATOREM . AD . LITEM SVSCIPIENDAM . DATVM . PRO . QVO . CON SENTIENTE . IVDICATVM . DOMINVS . SOL VI . EXPOSVIT . CAVSA . COGNITA . IVDI CIVM . ACCIPERE . COGAM

II. (b) Ante litem contestatam domino libera potestas erit, vel mutandi Procuratoris, vel sibi judicium accipiendi: post litem contestatam id causa cognita permittam.

III. (c) CVIVS . NOMINE . QVIS . ACTIO NEM . DARI . SIBI . POSTVLAVERIT . IS EVM . BONI . VIRI . ARBITRATV . DEFEN DAT . ET . EI . QVO . NOMINE . AGIT

(a) L. *Filius familias, et ad* 8 §. 3 D. eod.

(b) L *Ante litem contestatam* 16. L. *Post litem autem* 17, et L. *Mutari debebit* 24 D. eod.

(c) L. *Servum quoque et filium fam.* 33 §. 3 D. eod.

ID . RATVM . HABERE . EVM . AD . QVEM RES . EA . PERTINET . BONI . VIRI . ARBITRATV . SATISDET

QVOD CVIVSQVE VNIVERSITATIS NOMINE VEL CONTRA EAM AGATVR.

TIT. IV.

I. (*a*) Quae communiter agi fierique oportebit universitatis nomine, Actori sive Syndico, cui lex agere permittit, aut qui ab ordine electus erit, de iis rebus actionem dabo.

II. (*b*) Non tamen judicati, nisi in rem suam Procurator datus fuerit.

III. (*c*) Eundem actorem, si agat, defendere cogam, ubi adversus universitatem agetur.

IV. (*d*) Si nemo universitatem defendat, quod ejus commune erit possideri: etsi admoniti non excitentur ad sui defensionem, venire jubebo.

(a) L. *Neque Societas* 1 §. 1. L. *Nulli permittetur* 3 et L. *Item eorum* 6 D. eod.

(b) L. *Item eorum* 6 §. ult. D. eod.

(c) L. ead. §. ult.

(d) L. *Neque Societas* 1 §. 2 D. eod.

V. (*a*) Si extraneus universitatem defendere velit, id ei permittam.

DE NEGOTIIS GESTIS.

TIT. V.

I. (*b*) SI . QVIS . NEGOTIA . ALTERIVS SIVE . QVIS . NEGOTIA . QVAE . CVIVS QVE . CVM . IS . MORITVR . FVERINT . GES SERIT . ACTIONEM . EO . NOMINE . DABO

DE CALVMNIATORIBVS.

TIT. VI.

I. (*c*) In eum qui ut calumniae causa negotium faceret vel non faceret, pecuniam accepisse depectusve esse dicetur, intra annum in quadruplum ejus pecuniae quam accepisse depectusve esse dicetur, post annum simpli in factum actionem dabo.

(a) L. ead. §. ult.

(b) L. *Ait Praetor si* 3 D. eod.

(c) L. *In eum qui ut calumniae* 1. L. *Et generaliter idem erit* 3 D. eod.

EX LIBRO IV.

DE EO QVOD METVS CAVSA GESTVM ERIT.

TIT. II.

I. (*a*) QVOD . METVS . CAVSA . GESTVM . ERIT . RATVM . NON . HABEBO .

II. (*b*) Si per metum aliquid ablatum esse dicatur, NEQVE . EA . RES . ARBITRIO . IVDICIS . RESTITVATVR . intra annum quo primum de ea re experiundi potestas erit, in quadruplum: post annum vero in simplum causa cognita actionem dabo.

DE DOLO MALO.

TIT. III.

I. (*c*) QVAE . DOLO . MALO . FACTA ESSE . DICENTVR . SI . DE . HIS . REBVS ALIA . ACTIO . NON . ERIT . ET . IVSTA

(a) L. *Ait Praetor quod* 1 D. eod.

(b) L. *Item si cum exceptione* 14 in princ. & §. 11 D. eod.

(c) L. *Hoc Edicto Praetor* 1 D. eod.

CAVSA . ESSE . VIDEBITVR . IVDICIVM . DABO

II. (*a*) Qui de dolo aget, certum dicat, quid et cujus dolo factum sit.

III. (*b*) Quae dolo malo ablata esse dicentur, ea nisi arbitrio Judicis restituantur, quanti unaquaeque res erit, in eum qui abstulisse dicetur intra annum, quo primum de ea re experiundi potestas erit, actionem dabo.

IV. (*c*) In heredem eatenus actionem dabo, quatenus ad eum pervenisse dicetur, dolove malo factum erit, quo minus perveniret.

DE MINORIBVS 25 ANNIS.

TIT. IV.

I. (*d*) QVOD . CVM . MINORE . QVAM VIGINTI . QVINQVE . ANNIS . NATV . GESTVM . ESSE . DICETVR . VTI . QVAEQVE

(a) L. *Sed & ex dolo* 15, & L. *Item exigit Praetor* 16 D. eod.

(b) L. *Arbitrio judicis* 18 D. eod. L. *Non possunt obesse tibi* 3, & L. *Optimum duximus* 8 C. eod.

(c) L. *In heredem eatenus* 26, & L. *Dolove malo ejus* 27 D. eod.

(d) L. *Hoc Edictum Praetor naturalem* 1 §. 1. L. *Verum vel de dolo* 11 §. 3, L. *In causae cognitione* 13, & L. *Plane quamdiu is* 16 D. eod.

RES . ERIT . ANIMADVERTAM: Et si justa causa esse videbitur, intra annum, quo primum experiundi potestas erit, postquam is major factus esse dicetur, in integrum restituam.

DE CAPITIS DIMINVTIONE.

TIT. V.

I. (*a*) QVI . QVAEVE . POSTEAQVAM QVID . CVM . HIS . ACTVM . CONTRA CTVMVE . SIT . CAPITE . DIMINVTI . VEL DIMINVTAE . ESSE . DICENTVR . IN EOS EASVE . PERINDE . QVASI . ID . FACTVM NON . SIT . IVDICIVM . DABO

II. (*b*) Jura quoque atque actiones, quae ad eos easve pertinebunt, eis servabo.

EX QVIBVS CAVSIS MAIORES VIGINTI QVINQVE ANNIS IN INTEGRVM RESTITVANTVR.

TIT. VI.

I. (*c*) SI . CVIVS . QVID . DE . BONIS DIMINVTVM . ERIT . CVM . IS . METV

(a) L. *Pertinet hoc Edictum* 2 §. 1 D. eod.

(b) L. *Eas obligationes* 8, L. *Legatum in annos singulos* 10 D. eod.

(c) L. *Hujus Edicti causam* 1 §. 1 D. eod.

AVT . SINE . DOLO . MALO . REIPVB. CAVSA . ABESSET . INVE . VINCVLIS . SERVITVTE . HOSTIVMQVE . POTESTATE . ESSET . SIVE . CVIVS . ACTIONIS . EORVM CVI . DIES . EXISSE . DICETVR . ITEM . SI QVIS . QVID . VSV . SVVM . FECISSET AVT . QVOD . NON . VTENDO . AMISSVM EST . CONSECVTVS . ACTIONEVE . QVA SOLVTVS . OB . ID . QVOD . DIES . EIVS EXIERIT . CVM . ABSENS . NON . DEFENDERETVR . INVE . VINCVLIS . ESSET . SECVMVE . AGENDI . POTESTATEM . NON . FACERET . AVT . CVM . EVM . INVITVM . IN IVS . VOCARE . NON . LICERET . NEQVE DEFENDERETVR . CVM . MAGISTRATVS . DE EA . RE . APPELLATVS . ESSET . SIVE CVI . PER . MAGISTRATVM . SINE . DOLO IPSIVS . ACTIO . EXEMPTA . ESSE . DICERETVR . EARVM . RERVM . ACTIONEM . INTRA . ANNVM . QVO . PRIMVM . DE . EA RE . EXPERIVNDI . POTESTAS . ERIT . ITEM SI . QVA . ALIA . MIHI . IVSTA . CAVSA ESSE . VIDEBITVR . IN . INTEGRVM . RESTITVAM . QVOD . EIVS . PER . LEGES PLEBISCITA . SENATVSCONSVLTA . EDICTA DECRETA . PRINCIPVM . LICEBIT

DE ALIENATIONE IVDICII MVTANDI CAVSA FACTA.

TIT. VII.

I. (*a*) Ne qua alienatio judicii mutandi causa fiat.

II. (*b*) Si dolo malo lis in alium translata, quaeve alienatio Judicii mutandi causa facta erit, neque arbitrio Judicis pristina Judicii causa restituatur intra annum, quo primum experiundi potestas erit, in integrum restituam, ut tantum officio Judicis consequatur actor, quanti ejus intersit alium advérsarium non habuisse.

III. (*c*) Heredi interdum etiam post annum causa cognita in integrum restitutionem dabo.

(a) L. *Si quis judicii* ult. D. eod.

(b) L. *Omnibus modis Proconsul* 1, L. *Quia etiam si cum eo* 3 §. 4 & 5, L. *Item si res fuerint usucaptae* 4 §. 3 & 6, L. *Vel post annum* 6, & L. *Ex hoc Edicto tenetur* 8 §. 1 D. eod.

(c) L. *Interdum tamen* 19 D. de minorib. 25 ann.

DE RECEPTIS QVI ARBITRIVM RECEPERVNT VT SENTENTIAM DICANT.

TIT. VIII.

I. *(a)* QVI . ARBITRIVM . PECVNIA . COM PROMISSA . RECEPIT . sententiam eum dicere cogam.

II. *(b)* Eumque, si ita conventum sit, DIEM . COMPROMISSI . PROFERRE . jubebo.

NAVTAE CAVPONES STABVLARII VT RECEPTA RESTITVANT.

TIT. IX.

I. *(c)* NAVTAE . CAVPONES . STABVLA RII . QVOD . CVIVSQVE . SALVVM . FORE RECEPERINT . NISI . RESTITVANT . IN . EOS IVDICIVM . DABO

(a) L. *Labeo ait* 3 §. 2, & L. *Licet autem Praetor* 15 D. eod.

(b) L. *Labeo ait* 25 D. eod.

(c) L. *Ait Praetor* 1, L. *Et ita de facto* 3, & L. *Nauta & caupo* 5 D. eod.

EX LIBRO V.

DE IVDICIIS ET VBI QVISQVE AGERE VEL CONVENIRI DEBEAT.

TIT. I.

I. (*a*) Si se subjiciant aliqui Jurisdictioni et consentiant facta hac de re sponsione, inter consentientes judicium dabo.

II. (*b*) Legatis in eo quod ante legationem contraxerunt, item his, qui testimonii causa evocati sunt, vel si qui judicandi causa arcessiti, aut in provinciam destinati, revocandi domum suam, Jus dabo.

III. (*c*) Si Judex datus ab iis, qui dandi jus habent, Judicium protelaverit, sententiam ferre cogam.

(a) L. *Si se subjiciant* 1, & L. *Consensisse autem* 2 D. eod., & L. *Sponsio appellatur* 7 D. de verb. signif.

(b) L. *Consensisse autem* 2 §. 3 D. eod.

(c) L. *Cum Praetor unum* 12, & L. *De qua re cognoverit* 74 D. eod.

IV. (*a*) Si longius spatium intercessurum erit, quominus Judex datus operam dare possit, eum mutari jubebo.

DE INOFFICIOSO TESTAMENTO.

TIT. II.

I. (*b*) Si quis Testamentum inofficiosum dicere velit, eo quod injuste se exheredatum aut praeteritum esse queratur, neque ei quarta pars debitae portionis ab intestato relicta fuerit, inofficiosi testamenti intra quinquennium ei actionem dabo.

DE HEREDITATIS PETITIONE.

TIT. III.

I. (*c*) Si hereditas petatur, adversus eum, qui jus vel rem aliquam heredi-

---

(a) L. *Si longius spatium* 18 D. eod.

(b) L. *Inofficiosum testamentum* 3, L. *Nam & is, qui* 5, L. *Papinianus Lib. V*, 8 §. 8, 9 & 17, L. *Si autem intra quinquennium* 9 D. eod.

(c) L. *Regulariter definiendum est* 9, L. *Licet minimam* 10, L. *Pro herede possidet* 11, L. *Nec ullam causam* 13., L. *Quod si in diem* 16, L. *Quod si possessor* 18 D. eod., & L. *Post actionem, quam* 1 D. si pars hered. petatur.

tariam pro herede aut pro possessore possidebit, aut dolo malo fecerit, quominus possideat, heredi legitimo aut testamentario, ad quem ea hereditas pertinere dicetur, actionem dabo.

II. (*a*) Si rei hereditariae alienatio postuletur, et possessor hereditatis, aut pro tota hereditate satisdare, aut etiam ejus rei nomine cavere paratus sit, causa cognita diminutionem concedam.

SI PARS HEREDITATIS PETATVR.

TIT. IV.

I. (*b*) Si pars hereditatis petatur, adversus eum, qui aliquid ex ea hereditate possidebit, dolove malo fecerit, quo minus possideat, legitimo aut testamentario heredi postulanti actionem dabo.

II. (*c*) Si pro parte heres, quam partem vindicare debeat, incertus sit, si mihi justa causa esse videbitur, incertae partis petitionem dabo.

(a) L. *Divus Pius rescripsit* 5 D. eod.
(b) L. *Post actionem, quam* 1 D. eod.
(c) L. ead. §. ult.

DE POSSESSORIA HEREDITATIS PETITIONE.

TIT. V.

I. (*a*) Quibus ex Edicto bonorum possessio data est, hi si hereditatem partemve ejus petant, non minus atque iis ipsis heredibus eo nomine actionem dabo.

DE FIDEICOMMISSARIA HEREDITATIS PETITIONE.

TIT. VI.

I. (*b*) Qui restitutam suscepit hereditatem ex Senatusconsulto, ex quo actiones transeunt, si hereditatem partemve ejus petat, ei tanquam heredi ex ea re actionem dabo, non tamen adversus eum, qui ei hereditatem restituit.

(a) L. *Ordinarium fuit* 1, L. *Per quam hereditatis* 2 D. eod.

(b) L. *Ex ordine occurrit* 1, & L. *Nec interest mihi* 3 §. 1 D. eod.

EX LIB. VI DIGESTORVM.

DE REI VINDICATIONE.

TIT. I.

I. (*a*) Si dominus suae rei possessionem amiserit, cum eam non alienasse dicatur: neque ea arbitrio Judicis ei restituatur, adversus eum, qui eam possidere aut tenere dicetur, rei vindicationem dabo.

II. (*b*) Superficiario, causa cognita, idem Judicium dabo.

DE PVBLICIANA IN REM ACTIONE.

TIT. II.

I. (*c*) SI . QVIS . ID . QVOD . TRADITVR . EX . IVSTA . CAVSA . A . NON . DOMINO . ET . NONDVM . VSVCAPTVM . PETET . IVDICIVM . DABO

(a) L. *Post actiones quae* 1, L. *Qui restituere jussus* 68 D. eod., & L. *Alienationis verbum* 28. D. de verb. signif.

(b) L. *In speciali actione* 73, L. *Id est qui in alieno* 74, L. *Praetor causa cognita* 75 D. eod.

(c) L. *Ait Praetor: Si quis* 1 D. eod.

II. (*a*) QVI . BONA . FIDE . EMIT . cui res empta eo nomine tradita est, quam postea amiserit . SI . EA . RES . POSSESSORIS . NON . SIT . neque arbitrio Judicis emptori restituatur, nisi res talis sit, ut eam lex, vel constitutio alienari prohibeat, eo nomine actionem dabo.

SI AGER VECTIGALIS VEL EMPHYTEVTICARIVS PETATVR.

TIT. III.

I. (*b*) Si ager vectigalis petatur, causa cognita, Judicium dabo.

EX LIBRO VII.

DE VSVFRVCTV ET QVEMADMODVM QVIS VTATVR FRVATVR.

TIT. I.

I. (*c*) Si de usufructu agatur: Judicis, qui de ea re datus erit, arbitrio

(a) L. *Sed & si res adjudicata* 7 §. 11 & 16, L. *Si ego emi* 11, L. *Papinianus Lib. VI* ult. D. eod., & Instit. Tit. *De Actionibus* §. 31.

(b) Ex inscriptione Tituli.

(c) L. *Si cujus rei ususfructus* 13 §. 1 & 2 D. eod.

aestimabitur, quo modo antea ususfruitus sit is, cui ususfructus relictus est, et quemadmodum in posterum utifrui debeat.

SI VSVSFRVCTVS PETATVR VEL AD ALIVM PERTINERE NEGETVR.

TIT. VI.

I. *(a)* Si ususfructus petatur, vel ad alium pertinere negetur, usufructuario Confessoriam, neganti Negatoriam in eum actionem dabo.

VSVFRVCTVARIVS QVEMADMODVM CAVEAT.

TIT. IX.

I. *(b)* Si cujus rei ususfructus legatus esse dicatur, usufructuarium se usurum boni viri arbitratu: et cum ususfructus ad eum pertinere desierit, se ei restituturum ad quem ea res pertinebit, satisdare jubebo.

(a) L. *Uti frui jus sibi esse* 5 D. eod., L. *De servitutibus in rem* 2 D. Si servit. vind.

(b) L. *Si cujus rei* 1 D. eod.

EX LIBRO VIII.

SI SERVITVS VINDICETVR VEL AD ALIVM PERTINERE NEGETVR.

TIT. V.

I. (*a*) Si servitus vindicetur, vel ad alium pertinere negetur, vindicanti Confessoriam, neganti Negatoriam in rem actionem dabo.

EX LIBRO IX.

SI QVADRVPES PAVPERIEM FECISSE DICATVR.

TIT. III.

I. (*b*) Si quadrupes PAVPERIEM. FECISSE. dicatur; ex Lege XII Tabularum, aut noxam sarcire, aut noxiam dare jubebo.

(a) L. *De servitutibus in rem* 2 D. eod.

(b) Ex inscript. & L. *Si quadrupes pauperiem* 1 pr. D. eod. item ex Collat. L. Mosaïc. cum Rom. Tit. *De Furib.* 7.

DE HIS QVI EFFVDERINT VEL DEIECERINT.

TIT. III.

I. (*a*) VNDE . IN . EVM . LOCVM . QVO VVLGO . ITER . FIET . VEL . IN . QVO CONSISTETVR . DEIECTVM . VEL . EFFV SVM . QVID . ERIT . QVANTVM . EX . EA RE . DAMNVM . DATVM . FACTVMVE . ERIT IN . EVM . QVI . IBI . HABITAVERIT . IN DVPLVM . IVDICIVM . DABO . SI . EO . ICTV HOMO . LIBER . PERISSE . DICETVR . QVIN QVAGINTA . AVREORVM . IVDICIVM . DA BO . SI . VIVET . NOCITVMQVE . EI . ESSE DICETVR . QVANTVM . OB . EAM . REM AEQVVM . IVDICI . VIDEBITVR . EVM . CVM QVO . AGETVR . CONDEMNARI . TANTI IVDICIVM . DABO . SI . SERVVS . INSCIEN TE . DOMINO . FECISSE . DICETVR . IN . IV DICIO . ADIICIAM . AVT . NOXAM . DEDERE

II. (*b*) NE . QVIS . IN . SVGGRVNDA PROTECTOVE . SVPRA . EVM . LOCVM . QVO VVLGO . ITER . FIET . INVE . QVO . CON SISTETVR . ID . POSITVM . HABEAT . CV

(a) L. *Praetor ait de his* 1 D. eod.
(b) L. *Si vero plures* 5 §. 6 D. eod.

IVS . CASVS . NOCERE . CVI . POSSIT . QVI ADVERSVS . EA . FECERIT . IN . EVM . SOLIDORVM . DECEM . IN . FACTVM . IVDICIVM . DABO . SI . SERVVS . INSCIENTE DOMINO . FECISSE . DICETVR . AVT . NOXAE . DEDI . IVBEBO

DE NOXALIBVS ACTIONIBVS.

TIT. IV.

I. *(a)* Si servus deliquisse dicatur: Quantum ob eam rem aequum Judici videbitur, eum in cujus potestate est condemnari, tanti judicium dabo.

II. *(b)* Si servus insciente domino fecisse dicetur, noxae dedi jubebo.

III. *(c)* SI . IS . IN . CVIVS . POTESTATE . ESSE . DICETVR . NEGAVIT . SE . IN POTESTATE . SERVVM . HABERE . VTRVM ACTOR . VOLET . VEL . DEIERARE . IVBEBO . IN . POTESTATE . SVA . NON . ESSE NEQVE . SE . DOLO . MALO . FECISSE QVOMINVS . ESSET . VEL . IVDICIVM . DABO . SINE . NOXAE . DEDITIONE

(a) L. *Noxales actiones* 1, L. *Si servus sciente domino* 2 D. eod. & Instit. Tit. *De Actionib.* §. 31.

(b) Dicta Lege 2 D. eod.

(c) L. *Quoties dominus* 21 §. 2 D. eod.

EX LIBRO X.

FINIVM REGVNDORVM.

TIT. I.

I. (*a*) Finium regundorum si controversia fuerit inter vicinos, judicium dabo: ita ut Judex, qui de ea re datus erit, ex aequo et bono controversiam dirimat, ejus habita ratione quod cujusque intersit: eique jus sit rem uni adjudicare, eum invicem certa pecunia alteri condemnando.

FAMILIAE ERCISCVNDAE.

TIT. II.

I. (*b*) Familiae erciscundae judicium inter coheredes dabo: ita ut Judex qui de ea re datus erit, si commode divisio

(a) L. *Haec actio pertinet* 2 §. 1, L. *Quo casu opus est* 3, L. *Sed & loci unius* 4 D. eod. & Instit. *De Actionibus* §. 20.

(b) L. *Haec actio proficiscitur* 1, L. *Per familiae erciscundae actionem* 2, L. *Item Labeo scribit* 22 §. 1, 2, 3 & 4, item Instit. Tit. *De off. Jud.* §. 4, & §. 20 Tit. *De Actionibus*.

fieri nequeat, uni rem adjudicare, eumque alteri certa pecunia condemnare; atque praestationum ratione habita, quanto aequius melius ei videbitur, cetera dirimere possit.

COMMVNI DIVIDVNDO.

TIT. III.

I. *(a)* Communi dividundo judicium inter eos, quibus res communes erunt, dabo.

II. *(b)* Judicem qui ea de re datus erit, si commode divisio fieri nequeat, uni rem adiudicare certa pecunia alteri eum condemnando, atque praestationum ratione habita, quanto aequius melius ei videbitur, cetera diiudicare jubebo.

AD EXHIBENDVM.

TIT. IV.

I. *(c)* Si quis rem quam judicio petiturus erit, sibi exhiberi postulet ab eo,

(a) L. *Nihil autem interest* 2, L. *In communi dividundo judicio* 3, L. *Per hoc judicium* 4 D. eod. & Inst. Tit. *De Actionibus* §. 20.

(b) L. *In communi dividundo* 3 pr. L. *Per hoc judicium* 4 pr. D. eod. & Inst. Tit. *De Actionibus* §. 20.

(c) L. *Exhibere est facere* 2, L. *Si ad exhibendum* 8 D. eod. & Inst. Tit. *De Actionibus* §. 31.

qui eam possidet, aut dolo malo fecerit quominus possideret, eam arbitrio judicis exhiberi jubebo.

EX LIBRO XI.

DE INTERROGATIONIBVS IN IVRE FACIENDIS ET INTERROGATORIIS ACTIONIBVS

TIT. I.

I. (*a*) QVI . IN . IVRE . INTERROGATVS RESPONDERIT . qua ex parte sit heres aut bonorum possessor: ex sua responsione actionem dabo.

II. (*b*) Adversus eum qui OMNINO . NON RESPONDISSE . dicetur, in solidum actionem dabo.

DE SERVO CORRVPTO.

TIT. III.

I. (*c*) QVI . SERVVM . SERVAM . ALIENVM . ALIENAM . RECEPISSE . PERSVASIS

(a) L. *Totiens heres* 1, L. *Edictum de interrogationibus* 2, L. *Voluit Praetor* 4, §. 1 D. eod.

(b) L. *De aetate quoque* 11, §. 4 & 5 D. eod.

(c) L. *Ait Praetor*: *Qui* 1 pr. D. eod.

SEVE . QVID . EI . DICETVR . DOLO . MALO . QVO . EVM . EAM . DETERIOREM FACERET . IN . EVM . QVANTI . EA . RES ERIT . IN . DVPLVM . IVDICIVM . DABO

DE ALEATORIBVS.

TIT. V.

I. (*a*) SI . QVIS . EVM . APVD . QVEM ALEA . LVSVM . ESSE . DICETVR . VERBERAVERIT . DAMNVMVE . EI . DEDERIT SIVE . QVID . EO . TEMPORE . DOMO . EIVS SVBTRACTVM . EST . IVDICIVM . NON . DABO

II. IN . EVM . QVI . ALEAE . LVDENDAE . CAVSA . VIM . INTVLERIT . VTI QVAEQVE . RES . ERIT . ANIMADVERTAM

SI MENSOR FALSVM MODVM DIXERIT.

TIT. VI.

I. (*b*) Si mensor falsum modum dixisse dolo malo: aut cujus alterius rei mensuram falsam renuntiasse dicetur: eo

(a) L. *Praetor ait: Si quis* 1 D. eod.

(b) Tota L. *Adversus mensorem* 1, & L. *Si mensor non falsum* 5 §. 2 D. eod.

nomine adversus eum in factum actionem dabo.

DE RELIGIOSIS ET SVMPTIBVS FVNERVM ET VT FVNVS DVCERE LICEAT.

TIT. VII.

I. (*a*) SIVE . HOMO . MORTVVS . OSSA VE . HOMINIS . MORTVI . IN . LOCVM PVRVM . ALTERIVS . AVT . IN . ID . SE PVLCHRVM . IN . QVO . IVS . NON . FVE RIT . ILLATA . ESSE . DICENTVR . QVI HOC . FECIT . IN . FACTVM . ACTIONE TENEBITVR . ET . POENAE . PECVNIARIAE SVBIICIETVR

II. (*b*) Si locus Religiosus pro puro venisse dicetur, adversus venditorem rei ad quem ea res pertinebit, in factum actionem dabo.

III. (*c*) Si in locum publicis usibus destinatum, dolo malo quis mortuum intulerit, in eum judicium dabo, ut extra ordinem plectatur.

(a) L. *Locum in quo Servus* 2 §. 2 D. eod.
(b) L. *Ossa, quae ab alio* 8 §. 1 D. eod.
(c) Dicta L. 8 §. 2.

IV. (*a*) Ei, qui mortuum inferre prohibitus est, ossave mortui in eum locum quo ei jus esset inferendi, quique ob eam causam alio inferre coactus est: Adversus eum qui prohibuit, quanti interfuit prohibitum non esse, in factum actionem dabo.

V. (*b*) QVOD . FVNERIS . CAVSA . SVM PTVS . FACTVS . ERIT . HVIVS . RECVPE RANDI . NOMINE . IN . EVM . AD . QVEM EA . RES . PERTINET . IVDICIVM . DABO

DE MORTVO INFERENDO ET SEPVLCHRO AEDIFICANDO.

TIT. VIII.

I. (*c*) QVO . QVAVE . ILLI . MORTVVM INFERRE . INVITO . TE . EI . IVS . EST QVOMINVS . ILLI . EO . EAVE . MORTVVM INFERRE . ET . IBI . SEPELIRE . LICEAT VIM . FIERI . VETO

II. (*d*) QVO . ILLI . IVS . EST . INVI TO . TE . MORTVVM . INFERRE . QVOMI

(a) L. *Ossa, quae ab alio* 8 §. ult., L. *Liberum est ei* 9 D. eod.

(b) L. *Si quis sepulchrum habeat* 12 §. 2 D. eod.

(c) L. *Praetor ait: Quo* 1 pr. D. eod.

(d) Dicta L. 1 §. 5.

NVS . ILLI . IN . EO . LOCO . SEPVL CHRVM . SINE . DOLO . MALO . AEDIFICA RE . LICEAT . VIM . FIERI . VETO

EX LIBRO XII.

DE REBVS CREDITIS SI CERTVM PETATVR ET DE CONDICTIONE.

TIT. I.

I. (*a*) Si certum petatur ex mutui datione, condictionem dabo.

DE IVREIVRANDO SIVE VOLVNTARIO SIVE NECESSARIO SIVE IVDICIALI.

TIT. II.

I. (*b*) SI . IS . CVM . QVO . AGETVR CONDITIONE . DELATA . IVRAVERIT . EIVS REI . DE . QVA . IVSIVRANDVM . DELATVM . FVERIT . NEQVE . IN . IPSVM . NE

(a) Ex inscriptione & L. *Certum est, cujus* 6, L. *Proinde mutui datio* 8 D. eod., & L. *Qui certam pecuniam* 1 D. de condict. Tritic.

(b) L. *Ait Praetor: Si is* 3 pr. & L. *Ait Praetor: Ejus rei* 7 D. eod.

QVE . IN . EVM . AD . QVEM . EA . RES PERTINET . ACTIONEM . DABO

II. (*a*) Quod si actor deferente, aut etiam referente adversario juraverit, vel cum jurare paratus esset, ei Jusiurandum remissum fuerit, ex ea re in factum ei actionem dabo.

III. (*b*) EVM . A . QVO . IVSIVRANDVM PETETVR . SOLVERE . AVT . IVRARE . COGAM . Nisi ei qui aget, Jusiurandum referre maluerit: quo casu si Jurisiurandi conditione non utatur, ei actionem denegabo.

DE CONDICTIONE CAVSA DATA CAVSA NON SECVTA.

TIT. IV.

I. (*c*) Si cui aliquid ex aliqua causa datum fuisse dicatur, causa non secuta, ad id repetendum quod datum erit, adversus eum, qui acceperit, condictionem dabo.

(a) L. *Remittit jusiurandum* 6, L. *Nam postquam juratum est* 9 §. 1 D. h. Tit.

(b) L. *Jusiurandum & ad pecunias* 34 §. 6 & 7 D. eod.

(c) Ex inscrip. h. Tit. & L. *Omne quod datur* 1 §. 1. D. de Cond. ob turp. caus.

DE CONDICTIONE OB TVRPEM VEL INIVSTAM CAVSAM.

TIT. V.

I. *(a)* Si quid ob turpem vel iniustam rem datum fuisse dicetur, ad id repetendum quod datum erit, adversus eum cui datum fuerit, condictionem dabo.

DE CONDICTIONE INDEBITI.

TIT. VI.

I. *(b)* Si ab ignorante indebitum solutum esse dicetur, ad id quod solutum erit repetendum, actionem dabo.

DE CONDICTIONE SINE CAVSA.

TIT. VII.

I. *(c)* Si quid sine causa promissum aut solutum fuisse dicatur, ejus rei nomine condictionem dabo.

(a) L. ead. §. 2.

(b) L. *Nunc videndum* 1 §. 1, L. *Si non sortem quis* 26 §. 3 D. eod.

(c) L. *Est & haec species* 1 D. eod.

EX LIBRO XIII.

DE CONDICTIONE FVRTIVA.

TIT. I.

I. (*a*) Si qua res furto ablata esse dicatur: ejus persequendae causa domino adversus furem, heredemve ejus, furtivam condictionem dabo.

DE CONDICTIONE EX LEGE.

TIT. II.

I. (*b*) Si obligatio lege nova introducta sit, nec cautum eadem lege, quo genere actionis experiamur, ex lege condictionem dabo.

DE CONDICTIONE TRITICARIA.

TIT. III.

I. (*c*) Si quis triticum, vinum, oleum, aliasve res praeter pecuniam numeratam

---

(a) L. *In furtiva re* 1, & L. *Si pro fure damnum* 7 §. 2 D. eod.

(b) L. *Si obligatio* unic. D. eod.

(c) L. *Qui certam pecuniam* 1 D. eod.

petat, earum rerum nomine condictionem ei dabo.

DE EO QVOD CERTO LOCO DARI OPORTET.

TIT. IV.

I. (*a*) Si pecunia quae certo loco dari debet, alio loco petatur, utilem actionem dabo, ut per eam arbitrio Judicis satisfiat.

DE PECVNIA CONSTITVTA.

TIT. V.

I. (*b*) QVI . PECVNIAM . DEBITAM . CONSTITVIT . ADVENIENTE . DIE . SOLVERE DEBET

II. (*c*) SI . APPAREAT . EVM . QVI CONSTITVIT . NEQVE . SOLVERE . NEQVE FECISSE . NEQVE . PER . ACTOREM . STETISSE . QVOMINVS . FIERET . QVOD . CONSTITVTVM . EST . EAMQVE . PECVNIAM

(a) L. *Alio loco, quam in quem* 1 D. eod., & Inst. Tit. *De Actionibus* §. 33.

(b) L. *Hoc Edicto Praetor* 1 §. 1 D. eod.

(c) L. *Si duo, quasi duo rei* 16 §. 2, L. *Item illa verba Praetoris* 18 §. 1 D. eod.

CVM . CONSTITVEBATVR . DEBITAM . FVISSE adversus eum de constituto actionem dabo.

COMMODATI VEL CONTRA.

TIT. VI.

I. *(a)* QVOD . QVISQVE . COMMODASSE DICETVR . DE . EO . IVDICIVM . DABO

DE PIGNERATITIA ACTIONE VEL CONTRA.

TIT. VII.

I. *(b)* Si ob creditam pecuniam pignus datum sit, idque soluta demum pecunia, aut cum eo nomine satisfactum sit, repetatur; adversus eum a quo petetur, actionem dabo.

(a) L. *Ait Praetor quod quis* 1 D. eod.

(b) L. *Si rem alienam mihi* 9 §. 3, L. *Solutum non videtur* 11 §. 4 D. eod.

EX LIBRO XIV.

DE EXERCITORIA ACTIONE.

TIT. I.

I. *(a)* Quod cum magistro navis gestum esse dicetur: ejus rei cujus causa ibi praepositus fuerit, adversus eum, aut exercitorem actionem dabo.

II. *(b)* Si is qui navem exercuerit, in aliena potestate erit, ejusque voluntate navem exercuerit: quod cum magistro ejus gestum erit, in eum in cujus potestate erit, qui navem exercuerit, in solidum judicium dabo.

DE INSTITORIA ACTIONE.

TIT. III.

I. *(c)* Quod cum institore gestum esse dicetur, ejus rei cui praepositus fuerit, adversus eum qui praeposuit, actionem dabo.

(a) L. *Utilitatem hujus Edicti* 1 pr. §. 1, 5, 6 & 7 D. eod.

(b) L. ead. §. 19 D. eod.

(c) L. *Aequum Praetori visum est* 1 D. eod.

DE TRIBVTORIA ACTIONE.

TIT. IV.

I. *(a)* Si in peculiari merce quis negotiatus fuerit, sciente eo in cujus est potestate; pro ea merce, is qui eum habet in potestate cui aliquid debetur, cum aliis creditoribus in tributum vocabitur.

II. *(b)* Si cujus dolo malo factum sit, quominus ita tribueretur, quanto minus tributum erit, quam debuerit, eum praestare cogam.

QVOD CVM EO QVI IN ALIENA POTESTATE EST, NEGOTIVM GESTVM ESSE DICETVR.

TIT. V.

I. *(c)* IN . EVM . QVI . EMANCIPATVS AVT . EXHEREDATVS . ERIT . QVIVE . AB STINVERIT . SE . AB . HEREDITATE . EIVS CVIVS . IN . POTESTATE . CVM . IS . MO RITVR . FVERIT . EIVS . REI . NOMINE

(a) L. *Hujus quoque Edicti* 1 pr., & §. 2, & L. *Procuratoris autem scientiam* 5 §. 4 D. eod.

(b) L. *Illud quoque cavere* 7 §. 2 D. eod.

(c) L. *Ait Praetor in eum* 2 pr. D. eod.

QVAE . CONTRACTA . CVM . EO . FVERIT CVM . IS . IN . POTESTATE . ESSET . SI VE . SVA . VOLVNTATE . SIVE . IVSSV EIVS . IN . CVIVS . POTESTATE . ERIT CONTRAXERIT . SIVE . IN . IPSIVS . PECV LIVM . SIVE . IN . PATRIMONIVM . EIVS IN . CVIVS . POTESTATE . ERIT . EA . RES REDACTA FVERIT . ACTIONEM . CAVSA COGNITA . DABO . IN . ID . QVOD . FA CERE . POTEST

EX LIBRO XV.

DE PECVLIO.

TIT. I.

I. (*a*) QVOD . CVM . EO . QVI . IN . AL TERIVS . POTESTATE . ESSET . NEGOTIVM GESTVM . ERIT . de eo eatenus adversus eum, in cujus potestate esse dicetur, judicium dabo, quatenus erit in peculio.

(a) L. *Ordinarium Praetor* 1 §. 2 D. eod., adi L. *Summa cum ratione* 21 D. h. tit.

QVANDO DE PECVLIO ACTIO EST ANNALIS.

TIT. II.

I. *(a)* POST . MORTEM . EIVS . QVI . IN ALTERIVS . POTESTATE . FVERIT . POSTEA VE . QVAM . IS . EMANCIPATVS . MANV MISSVS . ALIENATVSVE . FVERIT . DVNTA XAT . DE . PECVLIO . ET . SI . QVID DOLO . MALO . EIVS . IN . CVIVS . POTE STATE . EST . FACTVM . ERIT . QVOMI NVS . ACTIO . PECVLII . ESSET . IN . AN NO . QVO . PRIMVM . DE . EA . RE . EX PERIVNDI . POTESTAS . ERIT . IVDICIVM DABO

DE IN REM VERSO.

TIT. III.

I. *(b)* Si quid in rem alicuius versum esse dicetur, ex eo quod is accepit qui in ejus est potestate, quatenus versum erit, eatenus actionem dabo.

(a) L. *Praetor ait, post mortem* 1 D. eod.
(b) L. *Si hi qui in potestate* 1 D. eod.

QVOD IVSSV.

TIT. IV.

I. (*a*) Quod jussu domini vel patris gestum esse dicetur, de ea re adversus eos in solidum judicium dabo.

EX LIBRO XVI.

DEPOSITI VEL CONTRA.

TIT. III.

I. (*b*) QVOD . NEQVE . TVMVLTVS . NEQVE . INCENDII . NEQVE . RVINAE . NEQVE . NAVFRAGII . CAVSA . DEPOSITVM SIT . IN . SIMPLVM . EARVM . AVTEM RERVM . QVAE . SVPRA . SVNT . COMPREHENSAE . IN . IPSVM . IN . DVPLVM . IN HEREDEM . EIVS . QVOD . DOLO . MALO EIVS . FACTVM . ESSE . DICETVR . QVI SIT . MORTVVS . IN . SIMPLVM . QVOD IPSIVS . IN . DVPLVM . IVDICIVM . DABO

(a) L. *Merito ex jussu domini* 1 D. eod.

(b) L. *Depositum est quod custodiendum* 1 §. 1 D. eod.

EX LIBRO XVII.

MANDATI.

TIT. I.

I. (*a*) Qui mandatum alterius suscepisse dicetur, in eum judicium dabo.

PRO SOCIO.

TIT. II.

I. (*b*) Si societas inter aliquos coïta esse dicetur, de ea re judicium dabo.

EX LIBRO XVIII.

DE CONTRAHENDA EMPTIONE.

TIT. I.

I. (*c*) Si emptio & venditio contracta esse dicetur, de ea re judicium dabo.

(a) Ex multis passim huius Tituli legibus, quae *ad Edictum* inscribuntur.

(b) Ex huius Tituli legibus multis *ad Edictum*.

(c) Ex huius Tituli legibus *ad Edictum*.

DE HEREDITATE VEL ACTIONE VENDITA.

TIT. IV.

I. (*a*) Si hereditas aut actio veniisse dicetur, quidquid pecuniae ex ea hereditate aut actione, ad venditorem, ejusve heredem pervenisse dicetur, aut dolo malo factum erit, quominus perveniret: item quaecumque actio, petitio, persecutio inde dari debuit, ea omnia emptori praestari ac restitui jubebo.

EX LIBRO XIX.

LOCATI ET CONDVCTI.

TIT. II.

I. (*b*) Si locatio & conductio contracta esse dicetur, ex eo contractu actionem dabo.

(a) L. *Venditor hereditatis* 2 §§. 3, 4, 5, & 8 D. eod., item L. *Pecuniae verbum* 178 D. de verb. signif.

(b) Ex huius Tituli legibus *ad Edictum*.

DE AESTIMATORIA.

TIT. III.

I. (*a*) Si res aestimata vendenda data fuerit, de aestimato actionem dabo.

DE RERVM PERMVTATIONE.

TIT. IV.

I. (*b*) Si permutatio facta esse dicetur, in factum actionem dabo.

DE PRAESCRIPTIS VERBIS.

TIT. V.

I. (*c*) Si propria actio prodita non erit, quae negotio, quo de agitur, accommodari possit, uti quaeque res gesta esse dicetur, praescriptis verbis in factum actionem dabo.

(a) L. *Actio de aestimato* 1 in pr. D. eod.

(b) L. *Sicut aliud est* 1 D. eod.

(c) L. *Quotiens deficit actio* 21, L. *Si tibi polienda* 22 D. eod.

EX LIBRO XXI.

DE AEDILITIO EDICTO.

I. *DE MANCIPIIS.*

TIT. I.

I. (*a*) QVI . MANCIPIA . VENDVNT . CERTIORES . FACIANT . EMPTORES . QVID MORBI . VITIIVE . CVIQVE . SIT . QVIS FVGITIVVS . ERROVE . SIT . NOXAVE . SOLVTVS . NON . SIT . EADEMQVE . OMNIA CVM . EA . MANCIPIA . VENIBVNT . PALAM . RECTE . PRONVNTIANTO

II. QVOD . SI . MANCIPIVM . ADVERSVS EA . VENISSET . SIVE . ADVERSVS . QVOD DICTVM . PROMISSVMVE . FVERIT . CVM VENIRET . FVISSET . QVOD . EIVS . PRAESTARI . OPORTERE . DICETVR . EMPTORI OMNIBVSQVE . AD . QVOS . EA . RES . PERTINET . IVDICIVM . DABIMVS . VT . ID MANCIPIVM . REDHIBEATVR

III. SI . QVID . AVTEM . POST . VENDITIONEM . TRADITIONEMQVE . DETERIVS OPERA . EMPTORIS . FAMILIAE . PROCVRA

(a) L. *Labeo scribit Edictum* 1 §. 1 D. eod.

TORISVE . EIVS . FACTVM . ERIT . SIVE QVID . EX . EO . POST . VENDITIONEM NATVM . AVT . ACQVISITVM . FVERIT . ET SI . QVID . ALIVD . IN . VENDITIONE . EI ACCESSERIT . SIVE . QVID . EX . EA . RE FRVCTVS . PERVENERIT . AD . EMPTOREM VT . EA . OMNIA . RESTITVAT

IV. ITEM . SI . QVAS . ACCESSIONES IPSE . PRAESTITERIT . VT . RECIPIAT

V. ITEM . SI . QVOD . MANCIPIVM . FRAV DEM . CAPITALEM . ADMISERIT . MORTIS VE . CONSCISCENDAE . SIBI . CAVSA . QVID FECERIT . VEL . IN . ARENAM . DEPVGNAN DI . CAVSA . AD . BESTIAS . FVERIT . IN TROMISSVS . EA . OMNIA . IN . VENDITIO NE . PRONVNTIANTO . EX . HIS . ENIM CAVSIS . IVDICIVM . DABIMVS

VI. HOC . AMPLIVS . SI . QVIS . AD VERSVS . EA . SCIENS . DOLO . MALO . VEN DIDISSE . DICETVR . IVDICIVM . DABIMVS

VII. (*a*) Nationem praeterea cujusque mancipii in venditione pronuntianto.

VIII. Si ita factum non erit, quod ejus prestari oportere dicetur, emptori,

---

(a) *Quod si nolit venditor* 31 §. 2 D. eod.

omnibusque, ad quos ea res pertinebit: judicium dabimus ut & mancipium redhibeatur.

IX. (a) Ne veterator pro novitio veneat prohibemus: si quid ignorante emptore ita venierit, judicium dabimus.

X. (b) A venditore, mancipii nomine, duplum promitti jubebimus.

XI. (c) Mancipiis autem redhibendis in diebus sexaginta, quibus primum agendi potestas erit, vel quanto minoris essent quum venierint, in anno judicium dabimus.

XII. (d) Si quid ita venierit, ut nisi placuerit, intra praefinitum tempus redhiberetur, conventionem ratam habebimus.

XIII. Si de tempore nihil convenerit, in sexaginta diebus, quibus primum experiundi potestas erit, in factum actionem dabimus.

(a) L. *Praecipiunt Aediles* 37 D. eod.

(b) L. *Emptori duplam promitti* 37 D. de Evictionib.

(c) L. *Sciendum tamen est* 19 §. fin. D. de Aedilitio Edicto.

(d) L. *Quod si nolit venditor* 31 §. 22 D. eod.

XIV. (*a*) Si intra illud tempus redhibitio facta non erit, causa cognita ei subveniemus.

XV. Si servus fuerit redhibitus ET QVANTA . PECVNIA . PRO . EO . HOMINE SOLVTA . ACCESSIONISVE . NOMINE . DATA . ERIT . NON . REDDETVR . CVIVSVE PECVNIAE . QVIS . EO . NOMINE . OBLIGATVS . ERIT . NON . LIBERABITVR in factum actionem dabimus.

II.

DE IVMENTIS ET CETERO PECORE OMNI.

I. (*b*) QVI . IVMENTA . VENDVNT . PALAM . RECTE . DICVNTO . QVID . IN . QVOQVE . EORVM . MORBI . VITIIVE . SIT . VTI QVAE . OPTIME . ORNATA . VENDENDI CAVSA . FVERINT . ITA . EMPTORIBVS . TRADANTVR . SI . QVID . ITA . FACTVM . NON ERIT . DE . ORNAMENTIS . RESTITVENDIS IVMENTISVE . ORNAMENTORVM . NOMINE REDHIBENDIS . IN . DIEBVS . SEXAGINTA MORBI . AVTEM . VITIIVE . CAVSA . IN

(a) L. *Aediles etiam hoc* 25 §. 9, L. *Quod si nolit venditor* 31 §. 17 & seq. D. eod.

(b) L. *Aediles ajunt, qui* 38 pr. D. eod.

EMPTIS . FACIENDIS . IN . SEX . MENSIBVS VEL . QVANTO . MINORIS . CVM . VENI RENT . FVERINT . IN . ANNO . IVDICIVM DABIMVS

II. *(a)* SI . IVMENTA . PARIA . SIMVL VENIERINT . ET . ALTERVM . IN . EA CAVSA . FVERIT . VT . REDHIBERI . DE BEAT . IVDICIVM . DABIMVS . QVO . VTRVM QVE . REDHIBEATVR

III. QVAE . DE . IVMENTORVM . SANI TATE . DIXIMVS . DE . CETERO . QVOQVE PECORE . OMNI . VENDITORES . FACIVNTO

IV. *(b)* NE . QVIS . CANEM . VERREM VEL . MINOREM . APRVM . LVPVM . VR SVM . PANTHERAM . LEONEM . ALIVDVE QVOD . NOCERET . ANIMAL . SIVE . SO LVTA . SINT . SIVE . ALLIGATA . VT . CON TINERI . VINCVLIS . QVOMINVS . DAMNVM INFERANT . NON . POSSINT . QVA . VVL GO . ITER . FIET . ITA . HABVISSE . VE LIT . VT . CVIQVAM . NOCERE . DAMNVM

(a) D. L. 38 §. 5.

(b) Hoc integrum Caput ipsis Edictalibus verbis continetur in Legibus 40, 41 & 42 D. eod. quod cum a Ranchino omissum fuerit, merito hic adiungendum putavit Pandect. Justinianearum cl. auctor.

VE . DARI . POSSIT . SI . ADVERSVS . EA FACTVM . ERIT . ET . HOMO . LIBER . EX EA . RE . PERIERIT . SOLIDI . DVCENTI SI . NOCITVM . HOMINI . LIBERO . ESSE DICETVR . QVANTI . BONVM . AEQVVM IVDICI . VIDEBITVR . CONDEMNETVR . CETERARVM . RERVM . QVANTI . DAMNVM DATVM . FACTVMVE . SIT . DVPLI

EX LIBRO XXV.

DE ACTIONE RERVM AMOTARVM.

TIT. II.

I. (*a*) Si uxor constante matrimonio res mariti amovisse dicatur, in eam actionem dabo, vel jusiurandum deferre permittam.

DE INSPICIENDO VENTRE CVSTODIENDOQVE PARTV.

TIT. IV.

I. (*b*) SI . MVLIER . MORTVO . MARITO PRAEGNANTEM . SE . ESSE . DICET . HIS

(a) L. *Rerum amotarum judicium* 1, L. *Marcellus lib. 8*, 11 §. 1 & ult., L. *Ideo Labes scribit* 13 D. eod.

(b) L. *Temporibus Divorum Fratrum* 1 §. 10 D. eod.

AD . QVOS . EA . RES . PERTINEBIT . PRO
CVRATORIVE . EORVM . BIS . IN . MENSE
DENVNTIANDVM . CVRET . VT . MITTANT
SI . VELINT . QVAE . VENTREM . INSPI
CIENT = MITTANTVR . AVTEM . MVLIERES
LIBERAE . DVNTAXAT . QVINQVE . HAEQVE
SIMVL . OMNES . INSPICIANT . DVM . NE
QVA . EARVM . DVM . INSPICIT . INVITA
MVLIERE . VENTREM . TANGAT = MVLIER
IN . DOMV . HONESTISSIMAE . FOEMINAE
PARIAT . QVAM . EGO . CONSTITVAM =
MVLIER . ANTE . DIES . TRIGINTA . QVAM
PARITVRAM . SE . PVTAT . DENVNTIET
HIS . AD . QVOS . EA . RES . PERTINET
PROCVRATORIBVSVE . EORVM . VT . MIT
TANT . SI . VELINT . QVI . VENTREM
CVSTODIANT = IN . QVO . CONCLAVI . MV
LIER . PARITVRA . ERIT . IBI . NE . PLV
RES . ADITVS . SINT . QVAM . VNVS . SI
ERVNT . EX . VTRAQVE . PARTE . TABV
LIS . PRAEFIGANTVR . ANTE . HOSTIVM
EIVS . CONCLAVIS . LIBERI . TRES . ET
TRES . LIBERAE . CVM . BINIS . COMITI
BVS . CVSTODIANT . QVOTIESCVMQVE . EA
MVLIER . IN . ID . CONCLAVE . ALIVDVE
QVOD . SIVE . IN . BALINEVM . IBIT . CV

STODES . SI . VOLENT . ID . ANTE . PRO
SPICIANT . ET . EOS . QVI . INTROIERINT
EXCVTIANT . CVSTODES . QVI . ANTE . CON
CLAVE . POSITI . ERVNT . SI . VOLVNT
OMNES . QVI . CONCLAVE . AVT . DOMVM
INTROIERINT . EXCVTIANT = MVLIER . CVM
PARTVRIRE . INCIPIAT . HIS . AD . QVOS
EA . RES . PERTINET . PROCVRATORIBVSVE
EORVM . DENVNTIET . VT . MITTANT . QVI
BVS . PRAESENTIBVS . PARIAT . MITTAN
TVR . MVLIERES . LIBERAE . DVNTAXAT
QVINQVE . ITA . VT . PRAETER . OBSTE
TRICES . DVAS . IN . EO . CONCLAVI . NE
PLVRES . MVLIERES . LIBERAE . SINT
QVAM . DECEM . ANCILLAE . QVAM . SEX
HAE . QVAE . INTVS . FVTVRAE . ERVNT
EXCVTIANTVR . OMNES . IN . EO . CON
CLAVI . NE . QVA . PRAEGNANS . SIT =
TRIA . LVMINA . NE . MINVS . IBI . SINT
SCILICET . QVIA . TENEBRAE . AD . SVBII
CIENDVM . APTIORES . SVNT = QVOD
NATVM . ERIT . HIS . AD . QVOS . EA
RES . PERTINET . PROCVRATORIBVSVE . EO
RVM . SI . INSPICERE . VOLENT . OSTEN
DATVR = APVD . EVM . EDVCETVR . APVD
QVEM . PARENS . IVSSERIT . SI . AVTEM

NIHIL . PARENS . IVSSERIT . AVT . IS . APVD QVEM . VOLVERIT . EDVCARI . CVRAM . NON RECIPIET . APVD . QVEM . EDVCETVR . CAVSA . COGNITA . CONSTITVAM . IS . APVD QVEM . EDVCABITVR . QVOD . NATVM . ERIT QVOAD . TRIVM . MENSIVM . SIT . BIS . IN MENSE . EX . EO . TEMPORE . QVOAD . SEX MENSIVM . SIT . SEMEL . IN . MENSE . A SEX . MENSIBVS . QVOAD . ANNICVLVS FIAT . ALTERNIS . MENSIBVS . AB . ANNICVLO . QVOAD . FARI . POSSIT . SEMEL IN . SEX . MENSIBVS . VBI . VOLET . OSTENDAT = SI . CVI . VENTREM . INSPICI CVSTODIRIVE . ADESSE . PARTVI . LICITVM NON . ERIT . FACTVMVE . QVID . ERIT QVOMINVS . EA . ITA . FIANT . VTI . SVPRA . COMPREHENSVM . EST . EI . QVOD NATVM . ERIT . POSSESSIONEM . CAVSA COGNITA . NON . DABO . SIVE . QVOD NATVM . ERIT . VT . SVPRA . CAVTVM EST . INSPICI . NON . LICVERIT . QVAS VTIQVE . ACTIONES . ME . DATVRVM . POLLICEOR . HIS . QVIBVS . EX . EDICTO MEO . BONORVM . POSSESSIO . DATA . SIT EAS . SI . MIHI . IVSTA . CAVSA . VIDEBITVR . ESSE . EI . NON DABO

SI VENTRIS NOMINE MVLIERE IN POSSESSIONEM MISSA, &c.

TIT. V.

I. (*a*) Si ventris nomine muliere in possessionem missa, eadem possessio dolo malo ad alium translata esse dicetur: tam adversus mulierem, quam adversus eum, in cujus potestate ea fuerit, quanti actoris interfuerit, in tantum actionem dabo.

II. (*b*) Eum quoque qui per dolum in possessionem venerit, ab ea decedere cogam.

SI MVLIER VENTRIS NOMINE IN POSSESSIONE CALVMNIAE CAVSA ESSE DICETVR.

TIT. VI.

I. (*c*) Si mulier ventris nomine in possessione calumniae causa esse dicetur,

---

(a) Ex inscriptione & L. *Hoc Edicto rectissime* 1 §. 1 D. eod.

(b) Lege eadem §. 2.

(c) Ex inscriptione & L. *Si de possessione* unic. §§. 3, 4, 5 D. eod.

quanti agentis interfuerit, intra annum quo agendi potestas erit, actionem dabo, etiam adversus parentem, si per eum factum sit, ut in possessionem per calumniam iretur.

EX LIBRO XXVI.

DE TESTAMENTARIA TVTELA.

TIT. II.

I. (*a*) Si quis ex pluribus tutoribus satisdationem obtulerit ut solus administret: an ille audiri, ceterisque nihilominus eadem conditio deferri debeat, causa cognita constituam.

DE TVTORIBVS ET CVRATORIBVS DATIS AB HIS QVI IVS DANDI HABENT.

TIT. V.

I. (*b*) Si mulier praegnas esse dicetur, ventri curatorem constituam.

(a) L. *Testamento datos tutores* 17, L. *Si nemo tutorum* 19 §. 1 D. eod.

(b) L. *Ventri tutor* 20 D. eod.

DE ADMINISTRATIONE ET PERICVLO TVTORVM.

TIT. VII.

I. (*a*) Si plures tutores testamento dati fuerint, ei potissimum tutelae administrationem committam, quem parens testamento destinaverit.

II. (*b*) Quod si nullus a testatore electus fuerit, aut qui electus est, gerere nolit: tum eum gerere cogam, cui major pars tutorum tutelam decreverit.

EX LIBRO XXVII.

VBI PVPILLVS EDVCARI VEL MORARI DEBEAT.

TIT. II.

I. (*c*) Si quis pupillum apud se educare recusaverit, eum non cogam.

(a) L. *Si plures Curatores* 3 §. 1 & 8 D. eod.
(b) Dicta L. 3 §. 7.
(c) L. *Solet Praetor frequentissime* 1 §. 2 D. eod.

DE TVTELAE ET RATIONIBVS DISTRAHENDIS.

TIT. III.

I. *(a)* Si quid ex bonis pupilli abesse dicetur, adversus eum qui in administranda tutela aliquid abstulerit, in duplum judicium dabo.

II. *(b)* Eum qui tutelam gessit, rationem eo nomine reddere cogam.

DE CONTRARIA TVTELAE ACTIONE.

TIT. IV.

I. *(c)* Si quid ex administratione bonorum pupilli debeatur, eo nomine in eum contrariam actionem dabo.

(a) L. *In omnibus quae fecit* 1 §. 22, L. *Actione de rationibus* 2 §. 2 D. eod.

(b) L. *In omnibus quae fecit* 1 D. eod.

(c) L. *Contrariam tutelae actionem* 1 D. eod.

DE EO QVI PRO TVTORE PROVE CVRATORE NEGOTIA GESSIT.

TIT. V.

I. *(a)* Sive tutor aut curator negotia gesserit: sive quis pro tutore aut pro curatore, ad ea gerenda accesserit, adversus eum qui gessisse dicetur, actionem dabo.

QVOD FALSO TVTORE AVCTORE GESTVM ESSE DICETVR.

TIT. VI.

I. *(b)* QVOD . EO . AVCTORE . QVI . TVTOR . NON . FVERIT . GESTVM . ESSE DICETVR . SI . ID . ACTOR . IGNORAVIT DABO . IN . INTEGRVM . RESTITVTIONEM

II. *(c)* IN . EVM . QVI . CVM . TVTOR NON . ESSET . DOLO . MALO . AVCTOR FACTVS . ESSE . DICETVR . IVDICIVM . DABO . VT . QVANTI . RES . EA . ERIT . IN TANTAM . PECVNIAM . CONDEMNETVR

(a) L. *Protutelae actionem* 1 D. eod.

(b) L. *Hujus Edicti aequitas* 1 in pr. & §§. 1 & 6 D. eod.

(c) L. *Novissime Praetor ait* 7 D. eod.

EX LIBRO XXVIII.

DE CONDITIONIBVS INSTITVTIONVM.

TIT. VII.

I. (*a*) Eum cui sub Jurisiurandi conditione quid relictum est, ita capere sinam, ut capiunt hi, quibus nulla talis Jurisiurandi conditio inseritur.

DE IVRE DELIBERANDI.

TIT. VIII.

I. (*b*) Heredem institutum intra certum tempus hereditatem adire jubebo. SI . TEMPVS . AD . DELIBERANDVM . PETET . DABO

II. (*c*) Creditoribus instrumentorum inspiciendorum copiam faciam.

III. (*d*) Si major sit hereditas, & in ea hereditate res quae ex tractu tempo-

(a) L. *Quae sub conditione* 8 pr. D. eod.

(b) L. *Si quis instituatur* 23 §. 1 D. de Hered. Instit., & L. *Si servus fuerit heres* §. 1 D. eod.

(c) L. *Aristo scribit* 5 pr. D. eod.

(d) Dicta Lege §. 1.

ris deteriores fiant, aut ea quae nimium sumptuosa sint, aut quae mora fiant deteriora: ei qui deliberat causa cognita hujusmodi res sine praejudicio justis pretiis distrahere permittam.

IV. *(a)* SI . PVPILLI . PVPILLAEVE . NOMINE . POSTVLABITVR . TEMPVS . AD . DELIBERANDVM . AN . EXPEDIAT . EVM . HEREDITATEM . RETINERE . ET . HOC . DATVM . SIT . SI . IVSTA . CAVSA . ESSE VIDEBITVR . BONA . INTEREA . DIMINVI NISI . CAVSA . COGNITA . BONI . VIRI . ARBITRATV . VETABO

EX LIBRO XXIX.

DE ACQVIRENDA VEL OMITTENDA HEREDITATE.

TIT. II.

I. *(b)* PROXIMVS . A . FILIO . POSTHVMO . HERES . DVM . MVLIER . PRAEGNAS EST . AVT . PVTATVR . ESSE . ADIRE . HE

(a) L. *Ait Praetor: Si pupilli* 7 pr. D. eod.

(b) L. *Cum quidam legationis causa* 30 §. 1 D. eod.

REDITATEM . NON . POTEST . SED . SI . SCIT NON . ESSE . PRAEGNANTEM . POTEST

II. (*a*) Suo & necessario heredi tam masculo quam foeminae abstinendi se ab hereditate potestatem faciam: impuberi etiam si se immiscuerit hereditati: puberi, si se non immiscuerit.

III. (*b*) SI . PER . EVM . EAMVE . FACTVM . ERIT . QVO . QVID . EX . EA . HEREDITATE . AMOVERETVR . abstinendi beneficium non dabo.

TESTAMENTA QVEMADMODVM APERIANTVR.

TIT. III.

I. (*c*) Quod ad causam supremi alicujus judicii pertinere dicetur, inspicere ac describere desideranti, suo vel alieno nomine: si prius de calumnia juraverit, praeter eam partem supremarum tabula-

(a) L. *Necessariis heredibus* 57 D. eod. *Ulp. fragm. Tit.* Qui hered. instit. poss.

(b) L. *Si servum quis alienum* 71 §§. 3 & 4 D. eod.

(c) L. *Omnibus quicumque* 1 pr., L. *Tabularum testamenti* 2 §§. 2, 5, 6, & L. *Pupillares tabulas* 8 D. eod., item L. *Illa verba optimus maximusque* 163 D. de verb. signif., & L. *Ejus quo ad causam* 3 Cod. h. t.

rum quam aperiri defunctus vetuit, vel ad ignominiam alicujus pertinere dicetur, inspiciendi describendique (praeter diem & Consulem) potestatem faciam.

SI QVIS OMISSA CAVSA TESTAMENTI &c.

TIT. IV.

I. (*a*) Si quis causam testamenti praetermisisse dicatur, ut ab intestato vel alio modo hereditatem partemve eius possideat quo eos circumveniat, quibus ex judicio defuncti aliquid deberi potuit, in eum causa cognita actionem dabo.

DE SENATVSCONSVLTO SILANIANO.

TIT. V.

I. (*b*) Quod ad causam testamenti pertinens relictum erit ab eo, qui occissus esse dicetur, id ne quis sciens dolo malo aperiundum, recitandum, descri-

---

(a) L. *Praetor voluntates* 1 pr. & §. 2, L. *Quia autem is* 6 §. 3, L. *Et si non totam* 13, L. *Julianus scribit* 26, L. *Mater secundis tabulis* 27 D. eod.

(b) L. *Si quis in gravi* 3 §. 18 D. eod.

bendumve curet, priusquam de ea familia quaestio ex Senatusconsulto habita, suppliciumque de noxiis sumptum fuerit, vetabo.

II. (*a*) Bonorum quoque possessionem petere non permittam.

III. (*b*) Quod si quis aperuisse, aut quid aliud eorum quae supra dicta sunt fecisse dicetur, in centum aureos eum condemnabo: quorum dimidiam partem ei cujus opera convictus erit, dabo: alteram in publicum cogam.

EX LIBRO XXXV.

SI CVI PLVS QVAM PER LEGEM FALCIDIAM LICEAT &c.

TIT. III.

I. (*c*) Si cui plus quam per legem Falcidiam liceat, legatum esse dicetur,

(a) L. *Necessarios heredes* 5 §. 1 D. eod.

(b) L. *Lege Cornelia cavetur* 25 §. 2 D. eod.

(c) L. *Si cui plus quam* 1 pr., L. *Haec autem satisdatio* 4 pr. D. eod., & L. *Aliud est capere* 71 D. de verb. signif.

& dubitari juste possit, utrum lex Falcidia locum habitura sit, nec ne, causa cognita subveniam heredi: ut ei legatarius satisdet, si apparuerit eum amplius legatorum nomine cepisse quam e lege Falcidia capere licebit, quanti ea res erit, tantam pecuniam daturum, dolumque malum ab eo abfuturum.

EX LIBRO XXXVI.

VT LEGATORVM SEV FIDEICOMMISSORVM SERVANDORVM CAVSA CAVEATVR.

TIT. III.

I. (*a*) Legatorum & Fideicommissorum nomine satisdare jubebo, ut quibus testator diebus dari fierive voluit, iisdem detur vel fiat, dolumque malum abesse abfuturumque esse inter se stipulari cogam.

(a) L. *Legatorum nomine* 1 D. eod.

VT IN POSSESSIONEM LEGATORVM &c.

TIT. IV.

I. (*a*) Si per legatarium vel fideicommissarium non stet quominus ei caveatur, eum in possessionem ire jubebo.

EX LIBRO XXXVII.

DE BONORVM POSSESSIONIBVS.

TIT. I.

I. (*b*) Iis qui rei capitalis damnati sunt, neque in integrum restituti sunt, bonorum possessionem non dabo.

SI TABVLAE TESTAMENTI EXTABVNT.

TIT. II.

I. (*c*) Si tabulae testamenti extabunt, in quibus heredis nomen ita deletum

(a) L. *Si quis cum vetitus* 1 §. 1, L. *Quamvis minima res* 13 D. eod.

(b) L. *Edicto Praetoris* 13 D. eod.

(c) L. *Heredi cujus nomen* unic. D. eod.

sit, ut penitus legi nequeat, bonorum possessionem non dabo.

II. (*a*) Si tamen post prolatas tabulas deletum fuerit testamentum, aut tabulae deinde interierint, secundum eas nihilominus possessionem dabo.

DE BONORVM POSSESSIONE FVRIOSO &c.

TIT. III.

I. (*b*) Furioso, infanti, muto, surdo & caeco, si quid agatur intelligant, bonorum possessionem dabo.

DE BONORVM POSSESSIONE CONTRA TABVLAS.

TIT. IV.

I. (*c*) Si sui liberi heredes non fuerint instituti aut nominatim exheredati:

(a) Dict. Leg. unic., & L. *Testamenti tabulas* 1 §. 3 D. de Bon. poss. sec. tab.

(b) Ex inscript. & L. *Furioso Titius* 1, L. *Mutus, surdus* 2 D. eod. Vide etiam L. *Servus bonorum possessionem* 7 D. de Bon. possessionib., & L. *Bonorum quidem possessionem* 7 *Cod.* Qui admitti ad bon. poss.

(c) L. *In contra tabulas* 1 pr., L. *Non tantum autem* 3 §. 10, L. *Non putavit Praetor* 8 pr. D. eod., & *Inst. Tit.* de Exhered. liber. §. 3, *Ulp. fragm. Tit.* Qui heredes instit. poss.

neque etiam emancipati qui masculi sunt, nec faeminae vel inter ceteros; iis contra tabulas bonorum possessionem dabo; exceptis iis qui jure . HEREDES . INSTI TVI . NON . POSSVNT

II. (*a*) Liberos in adoptionem datos, modo heredes instituti sunt, a Bonorum petitione non submovebo.

DE LEGATIS PRAESTANDIS CONTRA TABVLAS &c.

TIT. V.

I. (*b*) Qui judicia patris rescindunt per contra tabulas Bonorum possessionem, ex judicio eius legata & fideicommissa liberis, parentibus, uxori, nurui quoque, dotis nomine, relicta eos praestare cogam: non tamen iis liberis, quibus ex superioribus causis bonorum possessionem polliceor, si eam petierint aut si quid aliud ex defuncti voluntate obtinuerint.

(a) L. *Non putavit Praetor* 8 §§. 11, 12 & 13 D. eod.

(b) L. *Hic titulus aequitatem* 1 pr., L. *Filium quis mpuberem* 5 §§. 3 & 4 D. eod.

DE COLLATIONE.

TIT. VI.

I. (a) Filios emancipatos quibus Bonorum possessio dabitur, sua bona in medium conferre filiis in potestate existentibus boni viri arbitratu jubebo: ita ut collatio fieri censeatur, si recte eo nomine cautum fuerit.

DE DOTIS COLLATIONE.

TIT. VII.

I. (b) Filiam, quae bonorum possessionem petet, dotem conferre cogam.

DE CONIVNGENDIS CVM EMANCIPATO LIBERIS.

TIT. VIII.

I. (c) Si quis ex his quibus bonorum possessio datur, in potestate parentis, cum

---

(a) L. *Hic titulus manifestam* 1 in pr. §§. 1 & 9, L. *Praetor non sub conditione* 3 in pr. & §. 3, L. *Si quis filium* 5 §. 1 D. eod. *Ulp. fragm. Tit.* de Poss. dand. §. 4 *Paul. sent. lib.* 5 *tit.* 9 §. fin., L. *Filium quem in potestate* 20 §. 1 D. de Bonor. poss. contr. tab.

(b) L. *Quamquam ita demum* 1 pr. D. eod.

(c) L. *Si quis ex his* 1 pr. §§. 6 & 11 D. eod.

moritur, non fuerit, ei liberisque quos in ejusdem parentis familia habet (si ad eos hereditas proprio nomine pertineat, neque notam exheredationis meruerint) bonorum possessionem ejus partis dabo, quae ad eum pertineret si in potestate permansisset, ita ut ex ea parte dimidiam ipse, reliquam liberi habeant, hisque dumtaxat bona sua conferat.

DE VENTRE IN POSSESSIONEM MITTENDO.

TIT. IX.

I. (*a*) Si mulier praegnans dicetur mortis tempore, & non sit exheredatus qui in utero erit, sitque inter suos heredes futurus; cum iis quibus possessio data erit, causa cognita ventrem in possessionem mittam.

(a) L. *Sicuti liberorum* 1 §§. 1 & 2, L. *Ubicunque ab intestato* 7 §. 2 D. eod.

DE CARBONIANO EDICTO.

TIT. X.

I. (*a*) Si cui controversia fiat an inter liberos sit, isque impubes esse dicatur, causa cognita intra annum perinde ei bonorum possessionem dabo, ac si nulla de ea re controversia esset; eumque eo nomine satisdare jubebo: Judicium vero causa cognita in tempus pubertatis differam.

DE BONORVM POSSESSIONIBVS SECVNDVM TABVLAS.

TIT. XI.

I. (*b*) Si de hereditate ambigitur, & tabulae testamenti septem testium signis obsignatae ad me proferantur, secundum tabulas testamenti potissimum heredita-

(a) L. *Si cui controversia* 1 pr., L. *Carbonianum Edictum* 3 §§. 4 & 14, & L. *Haec bonorum possessio* 15 D. eod.

(b) L. 1 C. *Hermogen.* de Succession. *Cicero* in Verrem 3 *Instit.* de Testamentis §. 2, & L. *Tabulas testamenti* 1 §§. 2, 3 & 5 D. eod. *Ulp. fragm. Tit.* Quemadm. testam. sump. §. 6, & *Tit.* de Posses. dand. §. 5.

tem dabo: si testator civis Romanus & suae potestatis, cum moritur, fuerit.

II. (*a*) Si alienus posthumus heres institutus fuerit, ei secundum tabulas bonorum possessionem dabo.

SI A PARENTE QVIS MANVMISSVS SIT.

TIT. XII.

I. (*b*) IN . EO . QVI . A . PATRE . AVO VE . PATERNO . PROAVOVE . PATERNI . AVI PATRE manumissus erit, idem Jus constituam, eandemque contra tabulas bonorum possessionem dabo, quam patrono in liberti bonis.

DE BONORVM POSSESSIONE EX TESTAMENTO MILITIS.

TIT. XIII.

I. (*c*) Si miles testamentum fecisse dicatur: quocumque modo testatus fue-

(a) L. *Verum est omnem* 3 D. eod. & *Instit.* de Bon. posses. *in pr.*

(b) L. *Emancipatus a parente* 1 *pr.* & §. 1 D. eod.

(c) L. *Non dubium est* unic. D. eod., L. *De Militis testamento* 2, & L. *Quod dicitur* 38 D. de Testam. milit.

rit, & qualemcumque hereditatis partem aut legatum cuicumque reliquerit, in scriptis aut sine scriptis, eo in militia defuncto, aut intra annum post missionem ex Principum Constitutionibus, juxta eorum voluntatem bonorum possessionem dabo.

II. (*a*) Si qui in hostico suprema sua judicia Jure Militari ordinasse, ibidemque supremum diem functi esse dicantur, etiamsi milites non fuerint, secundum eorum voluntatem bonorum possessionem dabo.

EX LIBRO XXXVIII.

DE OPERIS LIBERTORVM.

TIT. I.

I. (*b*) Si operae a patrono, patrona, liberisque eorum petantur adversus libertos & libertas, de ea re judicium dabo.

(a) L. *Non dubium est* unic. D. eod.

(b) L. *Hoc Aedictum Praetor* 2 §. 1, L. *Ut Jurisjurandi* 7 §§. 6 & 9 D. eod.

DE BONIS LIBERTORVM.

TIT. II.

I. (*a*) Libertus qui testamentum faciet, ita testari debet, ut partem dimidiam bonorum suorum patrono relinquat: si nihil aut minus parte dimidia reliquerit, patrono contra tabulas testamenti, heredi scripto secundum tabulas partis dimidiae bonorum possessionem dabo.

II. (*b*) Scripto herede non petente, alterius quoque partis patrono bonorum possessionem dabo.

III. (*c*) Si libertus intestatus mortuus esse dicetur suo herede relicto filio adoptivo, patrono itidem partis dimidiae bonorum possessionem dabo.

IV. (*d*) Si naturales liberos reliquerit, sive ii in potestate mortis tempore fuerint, sive emancipati, sive etiam in adoptionem dati, modo ex aliqua parte

(a) *Inst. Tit.* de Success. libert. §. 1, & L. *Sed cum Patrono* 6 D. de Bonor. possessionib.

(b) *D. L. 6 D.* de Bon. poss.

(c) *Ulpian. Fragm. Tit.* de Bon. libert.

(d) *Ulp. d. loc.*

scripti heredes fuerint, patrono bonorum possessionem non dabo.

V. (*a*) SI . DONVM . MVNVS . OPERAS REDEMERIT . libertus, contra tabulas testamenti patrono, cui nihil relictum erit, bonorum possessionem non dabo.

DE LIBERTIS VNIVERSITATIS.

TIT. III.

I. (*b*) Quod Jus patrono in libertorum & libertarum bonis tributum est, idem municipibus adquisitum esto.

SI QVID IN FRAVDEM PATRONI FACTVM SIT?

TIT. V.

I. (*c*) Si quid dolo malo liberti factum esse dicetur: sive testamento facto, sive intestatus decesserit libertus, quominus pars debita bonorum ad eorum quem perveniat, quibus contra tabulas bono-

---

(a) L. *Julianus ait* 37 D. eod. L. *Saepe ita comparatum* 53 D. de verb. signif., & L. *Si quam tibi pecuniam* 4 *Cod.* de Operis lib.

(b) L. *Municipibus plenum jus* unic. D. eod.

(c) L. *Si quid dolo malo* 1 pr. D. eod.

rum possessio competit, de ea re cognoscam, operamque dabo ne ea res cuiquam fraudi sit.

SI TABVLAE TESTAMENTI NVLLAE EXTABVNT: VNDE LIBERI.

TIT. VI.

I. *(a)* Si tabulae testamenti nullae extabunt, VNDE . LIBERI . bonorum possessionem petent: sive sui sint, sive emancipati, aut capite minuti, itemque civitate donati; eis ab intestato bonorum possessionem dabo.

II. *(b)* Si quis ex iis in potestate parentis cum is moritur non fuerit, ei liberisque quos in ejusdem familia habebit, si ad eos hereditas suo nomine pertinebit, neque nominatim exheredes scripti erunt; bonorum possessionem ejus partis dabo, quae ad eum pertineret, si in potestate mansisset, ita ut ex ea parte dimidium ipse habeat, reliquum libe-

---

(a) L. *Posteaquam Praetor* 1 §§. 5 & 6, L. *Liberi & capite minuti* 4 D. eod., *Item in Collat. Leg. Mosaïc. tit. ult. versus finem.*

(b) L. *Si quis ex his* 5 D. eod.

ri ejus: hisque duntaxat bona sua conferat.

VNDE LEGITIMI.

TIT. VII.

I. (*a*) VNDE . LEGITIMI . bonorum possessionem petent, si nullae inde testamenti tabulae proferantur: tum quem ei heredem esse oporteret si intestatus mortuus esset, eum bonorum possessorem faciam: ita ut consanguinei ceteris praeferantur.

VNDE X. PERSONAE.

I. (*b*) VNDE . X. PERSONAE . bonorum possessionem petent; pater, inquam, mater, avus, avia, paterni: avus, avia, materni: filius, filia; nepos, neptis, tam ex filio quam ex filia; frater, soror, sive consanguinei sive uterini; si nullae inde tabulae testamenti proferantur; & non contracta fiducia emancipatio peracta es-

(a) L. *Haec verba Edicti* 1; L. *Si ex duobus* 4 D. eod. *Collat. Leg. Mosaïc. tit. ult. vers. fin.*, L. *Praetor ait* unic. D. Ut ex Legib. Senat.

(b) *Inst. Tit.* de Bonor. possess. & *Collat. Leg. Mosaïc. tit. ult.*

se dicatur, has decem personas extraneo manumissori anteponam, iisque ab intestato bonorum possessionem dabo.

VNDE COGNATI.

TIT. VIII.

I. (*a*) VNDE . COGNATI . bonorum possessionem petent, si nullae inde testamenti tabulae proferantur; eis qui defuncto mortis tempore cognati fuerunt, proximatis nomine usque ad sextum gradum cognationis, Bonorum possessionem dabo, & septimo sobrino sobrinaque nato nataeve.

II. (*b*) Agnatis capite minutis, exceptis fratre & sorore emancipatis, nisi sint in adoptiva familia; itemque liberis naturalibus, ex hac parte eamdem bonorum possessionem dabo.

(a) L. *Haec bonorum possessio* 1 §. 3 D. eod., L. *Item Praetor Edicto* 8 D. de Suis & legitim. hered.

(b) *Instit. Tit.* de Success. cognat., & L. *Hac parte Proconsul* 2, L. *Legitimis capite deminutis* 5, L. *Modestinus respondit* 8 D. eod.

TVM QVEM EX FAMILIA.

I. *(a)* Si libertus intestato mortuus esse dicetur; TVM . QVEM . EX . FAMI LIA . eius heredem esse oporteret, ad bonorum possessionem vocabo.

VNDE LIBERI PATRONI.

I. *(b)* VNDE . LIBERI . PATRONI . PATRO NAEQVE . ET . PARENTES . EORVM . Bonorum possessionem petent, si nullae inde testamenti tabulae proferantur, ab intestato bonorum possessionem dabo.

DE SVCCESSORIO EDICTO.

TIT. IX.

I. *(c)* Qui ad bonorum possessionem ex superioribus capitibus vocantur, eam petant; liberi & parentes intra annum, ceteri intra centesimum diem.

II. *(d)* Si quis eorum eam bonorum possessionem dari sibi noluerit, aut die-

(a) *Justin. & Theoph. Inst. Tit.* de Bon. possess.

(b) *Inst. Tit.* de Bon. possess.

(c) L. *Successorium Edictum* 1 pr. §§. 9 & 12 D. eod. *Instit. Tit.* de Bonor. possess. §. 4.

(d) D. L. 1 §. 10.

bus statutis non admiserit, tunc ceteris bonorum possessionem ita dabo, ac si prior ex eo numero non fuisset.

VNDE VIR ET VXOR.

TIT. XI.

I. (*a*) VNDE . VIR . ET . VXOR . bonorum possessionem petent: Si nullae inde testamenti tabulae proferantur; ei qui petet, ab intestato bonorum possessionem dabo.

VNDE COGNATI MANVMISSORIS.

I. (*b*) VNDE . COGNATI . MANVMISSORIS . petent bonorum possessionem, si nullae inde testamenti tabulae proferantur; eis qui petent, ab intestato bonorum possessionem dabo.

DE VETERANORVM ET MILITVM SVCCESSIONE.

TIT. XII.

I. (*c*) Si miles aut veteranus intestatus mortuus esse dicatur, cui sint castren-

(a) L. *Ut bonorum possessio* unic. D. eod., & *Instit. Tit.* de Bonor. possess. §. 1.

(b) *Instit. ibid.* (c) L. *Bona militis* 2 D. eod.

sia bona: legitimo heredi, aut, si is non erit, proximo cognato usque ad quintum gradum bonorum possessionem dabo: post eum gradum Fisco vindicabuntur.

VT EX LEGIBVS SENATVSVE CONSVLTIS BONORVM POSSESSIO DETVR.

TIT. XIV.

I. (*a*) VTI . ME . QVAQVE . LEGE . SENATVSVE . CONSVLTO . BONORVM . POSSESSIONEM . DARE . OPORTEBIT . ITA DABO

EX LIBRO XXXIX.

DE OPERIS NOVI NVNTIATIONE.

TIT. I.

I. (*b*) Si novum opus nuntiatum fuerit ab eo qui juraverit se non calumniae causa id facere: ne quidquam novi operis fiat, vetabo, antequam nuntiatio mis-

(a) L. *Praetor ait* unic. D. eod.

(b) L. *Hoc Edicto* 1 pr., L. *De pupillo quaesitum* 5 §. 14, L. *Et si satisdationem* 7 pr. D. eod.

sa facta fuerit, vel vice nuntiationis missae, de opere restituendo satisdatum sit.

II. (*a*) Si quis rivos vel cloacas velit reficere aut purgare, aut aliud ejusmodi opus facere, cujus mora periculum aliquod allatura sit; operis novi nuntiationem ei fieri non permittam.

III. (*b*) QVEM . IN . LOCVM . NVNCIATVM . EST . NE . QVID . NOVI . OPERIS FIERET . QVA . DE . RE . AGITVR . QVOD IN . EO . LOCO . ANTEQVAM . NVNCIATIO MISSA . FIERET . AVT . IN . EA . CAVSA ESSET . VT . REMITTI . DEBERET . FACTVM . EST . ID . RESTITVAS

IV. (*c*) QVEM . IN . LOCVM . NVNCIATVM . EST . NE . QVID . NOVI . OPERIS FIERET . QVA . DE . RE . AGITVR . SI DE . EA . RE . SATISDATVM . EST . QVOD EIVS . CAVTVM . SIT . VEL . PER . TE STAT . QVOMINVS . SATISDETVR . QVOMINVS . ILLI IN . EO . LOCO . OPVS . FACERE . LICEAT . VIM . FIERI . VETO

(a) D. L. *De pupillo quaesitum* 5 §§. 11 & 12 D. eod.

(b) L. *Praetor ait* 20 D. eod., L. *Cum Praetor dicat* 81 D. de verb. signif.

(c) D. L. 20 §. 9 D. eod.

DE DAMNO INFECTO.

TIT. II.

I. (*a*) Si damni infecti nomine agatur; Magistratibus municipalibus remittam ut apud eos caveatur Damni infecti nomine, Fidejussoribus datis, aut sponsione facta, intra eum diem qui a me constitutus erit.

II. (*b*) Si intra illum diem non caveatur: ei cui non cavebitur, in possessionem ejus rei mitti jubebo; DVM . EI QVI . ABERIT . PRIVS . DOMVM . DENVNCIARI . IVBEAM

III. (*c*) In eum Magistratum qui non curaverit quae supra scripta sunt, si ab eo id postulatum fuerit; quanti ea res erit cujus damni infecti nomine cautum non erit, judicium dabo.

IV. (*d*) DAMNI . INFECTI . SVO . NOMINE . PROMITTI . ALIENO . SATISDARI . IV

(a) L. *Cum res damni infecti* 1, L. *Dies cautioni praestitutus* 4 pr. D. eod., & L. *Sponsio appellatur* 7 D. de verb. signif.

(b) L. *Dies cautioni praestitutus* 4 §§. 1 & 5 D. eod.

(c) L. ead. §. 7.

(d) L. *Praetor ait* 7 D. eod.

BEBO . EI . QVI . IVRAVERIT . NON . CALVMNIAE . CAVSA . ID . SE . POSTVLARE EVMVE . CVIVS . NOMINE . AGET . POSTVLATVRVM . FVISSE . IN . EAM . DIEM QVAM . CAVSA . COGNITA . STATVERO . SI CONTROVERSIA . ERIT . DOMINVS . SIT NECNE . QVI . CAVEBIT . SVB . EXCEPTIONE . SATISDARI . IVBEBO

V. DE . EO . OPERE . QVOD . IN . FLVMINE . PVBLICO . RIPAVE . EIVS . FIET IN . ANNOS . DECEM . SATISDARE . IVBEBO . EVM . CVI . ITA . NON . CAVEBITVR IN . POSSESSIONEM . EIVS . REI . CVIVS NOMINE . VT . CAVEATVR . POSTVLABITVR . IRE . ET . CVM . IVSTA . CAVSA ESSE . VIDEBITVR . ETIAM . POSSIDERI IVBEBO

VI. IN . EVM . QVI . NEQVE . CAVERIT . NEQVE . IN . POSSESSIONE . ESSE NEQVE . POSSIDERE . PASSVS . ERIT . IVDICIVM . DABO . VT . TANTVM . PRAESTET . QVANTVM . PRAESTARE . EVM OPORTERET . SI . DE . EA . RE . EX . DECRETO . MEO . EIVSVE . CVIVS . DE . EA RE . IVRISDICTIO . FVIT . QVAE . MEA EST . CAVTVM . FVISSET

VII. EIVS . REI . NOMINE . IN . CVIVS POSSESSIONEM . MISERO . SI . AB . EO QVI . IN . POSSESSIONE . ERIT . DAMNI INFECTI . NOMINE . NON . SATISDABITVR EVM . CVI . NON . SATISDABITVR . SIMVL IN . POSSESSIONE . ESSE . IVBEBO

DE AQVA ET AQVAE PLVVIAE ARCENDAE.

TIT. III.

I. (*a*) Si cui aqua pluvia damnum dabit opere manufacto, Aquae pluviae arcendae ei actionem dabo.

II. (*b*) In concedendo jure aquae ducendae, tam eorum in quorum loco aqua oritur, quam eorum ad quos ejus aquae usus pertinet, voluntas exquiratur.

III. (*c*) Quod si ii consentiant; secundum eorum voluntatem, ductionem fieri jubebo.

(a) L. *Si cui aqua pluvia* 1 pr. & §. 1 D. eod.

(b) L. *In concedendo jure* 8, & L. *In diem addicto* 9 §. 2 D. eod.

(c) L. *Si autem plures* 10 D. eod.

DE PVBLICANIS ET VECTIGALIBVS ET COMMISSIS.

TIT. IV.

I. (*a*) QVOD . PVBLICANVS . AVT . QVIS PVBLICANI . NOMINE . VI . ADEMERIT QVODVE . FAMILIA . PVBLICANORVM . SI ID . RESTITVTVM . NON . ERIT . IN . DV PLVM . AVT . SI . POST . ANNVM . AGE TVR . IN . SIMPLVM . IVDICIVM . DABO ITEM . SI . DAMNVM . INIVRIA . FVRTVM VE . FACTVM . ESSE . DICETVR . IVDI CIVM . DABO . SI . ID . AD . QVOS . EA RES . PERTINEBIT . NON . EXHIBEBITVR IN . DOMINOS . SINE . NOXAE . DEDITIO NE . IVDICIVM . DABO

EX LIBRO XL.

DE LIBERALI CAVSA.

TIT. XII.

I. (*b*) In liberali causa parentibus & liberis, aliisque necessariis personis, in-

(a) L. *Praetor ait* 1 pr., & L. *Quantae audaciae* 12 §. 1 D. eod. (b) L. *Si quando is* 1 D. eod.

vito eo qui in servitutem asseritur, causa cognita litigare permittam.

II. (*a*) Si qui cum se liberos scirent, dolo malo passi sunt se pro servis venundari; in duplum adversus eos intra annum judicium dabo.

EX LIBRO XLII.

DE RE IVDICATA.

TIT. I.

I. (*b*) CONDEMNATVS . VT . PECVNIAM SOLVAT . AB . EO . CVIVS . DE . EA . RE IVRISDICTIO . EST . si neque solvat intra legitimum tempus, NEQVE . EO . NOMINE SATISFACIAT . in eum judicati actionem dabo.

II. (*c*) SI . VICTVM . vel STRATVM . inferri quis Judicato non patiatur, in eum uti ea res erit animadvertam.

(a) L. *Rectissime Praetor* 14, L. *Imo eum qui* 16, L. *In tantum* 18, L. *Vel obligatus est* 20, L. *Utique ejus duplum* 21, & *Non solus autem* 22 pr. & §. 1 D. eod.

(b) L. *Si se non obtulit* 4 §. 3, L. *Ait Praetor* D. eod.

(c) L. *Si victum* 34 D. eod., L. *Verbo victus* 43, L. *Et cetera quibus* 44, & L. *In stratum omne* 45 D. de verb. signif.

DE CONFESSIS.

TIT. II.

I. (*a*) Confessus si intra legitimum tempus pecuniam non solvat, neque eo nomine satisfaciat, in eum, ut in condemnatum, actionem dabo.

QVIBVS EX CAVSIS IN POSSESSIONEM EATVR.

TIT. IV.

I. (*b*) IN . BONA . EIVS . QVI . IVDICIO SISTENDI . CAVSA . FIDEIVSSORES . DEDERIT . SI . NEQVE . POTESTATEM . SVI FACIET . NEQVE . DEFENDERETVR . IRI IVBEBO

II. (*c*) Si adversus pupillum ex contractu cum eo inito agatur, isque non defendatur, bona ejus quandiu impubes erit, rei servandae causa possideri jubebo.

(a) L. *Confessus pro judicato* 1, & L. *Non fatetur* 2 D. eod.

(b) L. *Praetor ait* 2 D. eod.

(c) L. *Apud Julianum* 3, & L. *Haec autem* 5 pr. D. eod.

III. *(a)* SI . IS . PVPILLVS . IN . SVAM TVTELAM . VENERIT . CAVE . PVPILLA VIRIPOTENS . FVERIT . ET . RECTE . DE FENDETVR . EOS . QVI . BONA . POSSIDENT DE . POSSESSIONE . DECEDERE . IVBEBO

IV. *(b)* ET . EIVS . CVIVS . BONA . POS SESSA . SVNT . A . CREDITORIBVS . VE NEANT . PRAETERQVAM . PVPILLI . ET . EIVS QVI . REIP. . CAVSA . SINE . DOLO . MA LO . ABFVIT

V. *(c)* QVI . FRAVDATIONIS . CAVSA LATITAVIT . SI . BONI . VIRI . ARBITRA TV . NON . DEFENDETVR . EIVS . BONA POSSIDERI . VENDIQVE . IVBEBO

DE REBVS AVCTORITATE IVDICIS POSSIDENDIS SEV VENDVNDIS.

TIT. V.

I. *(d)* Si qui fructus ex praedio debitoris capi poterunt, eos creditor qui in possessionem bonorum missus est, vendere aut locare necesse habeat.

(a) L. *Haec autem* 5 §. 2 D. eod.

(b) L. *In possessionem* 6 §. 1 D. eod.

(c) L. *Fulcinius existimat* 7 §. 1 D. eod.

(d) L. *In venditionem bonorum* 8 §. 1 D. eod.

II. Si tamen a debitore ante venditi aut locati fuerint, venditionem aut locationem a debitore factam, etsi minoris distractum est vel locatum tuebor.

III. Nisi in fraudem creditorum venditio aut locatio facta esse dicatur; quo casu arbitrium creditoribus dabo, ut ex integro venditionem aut locationem faciant.

IV. (*a*) SI . QVIS . CVM . IN . POSSESSIONE . BONORVM . ESSET . QVOD . EO NOMINE . FRVCTVS . CEPERIT . EI . AD QVEM . EA . RES . PERTINET . NON . RESTITVAT . SIVE . QVOD . IMPENSAE . SINE . DOLO . MALO . FECERIT . EI . NON PRAESTABITVR . SIVE . DOLO . MALO . EIVS DETERIOR . CAVSA . POSSESSIONIS . FACTA . ESSE . DICETVR . DE . EA . RE . IN FACTVM . IVDICIVM . DABO

V. (*b*) QVOD . POSTEA . CONTRACTVM ERIT . QVAM . IS . CVIVS . BONA . VENIERINT . CONSILIVM . RECEPERIT . FRAVDARE . SCIENTE . EO . QVI . CONTRA-

(a) L. *Praetor ait* 9 pr. D. eod.

(b) L. *Ait Praetor* 25 D. eod., *Alias* L. 9 D. de Privileg. Creditor.

XERIT . NE . ACTIO . EO . NOMINE DETVR

QVAE IN FRAVDEM CREDITORVM GESTA SVNT VT RESTITVANTVR.

TIT. VIII.

I. (*a*) QVAE . FRAVDATIONIS . CAVSA GESTA . ERVNT . CVM . EO . QVI . FRAVDEM . NON . IGNORAVERIT . DE . HIS CVRATORI . BONORVM . VEL . EI . CVI DE . EA . RE . ACTIONEM . DARE . OPORTEBIT . INTRA . ANNVM . QVO . EXPERIVNDI . POTESTAS . FVERIT . ACTIONEM DABO . IDQVE . ETIAM . ADVERSVS . IPSVM . QVI . FRAVDEM . FECIT . SERVABO

II. (*b*) QVAE . LVCIVS . TITIVS . FRAVDANDI . CAVSA . SCIENTE . TE . IN . BONIS . QVIBVS . DE . AGITVR . FECIT . EA ILLI . SI . EO . NOMINE . QVO . DE . AGITVR . ACTIONEM . EX . EDICTO . MEO COMPETERE . ESSEVE . OPORTET . ET . SI NON . PLVS . QVAM . ANNVS . EST . CVM

(a) L. *Ait Praetor* 1 pr. D. eod.

(b) L. *Ait Praetor* 10 pr. L. *Si fraudator ult.* §. 4 D. eod.

n

DE . EA . RE . QVA . DE . AGITVR . EX PERIVNDI . POTESTAS . EST . RESTITVAS atque etiam fructus qui fundo cohaesisse dicentur . INTERDVM . CAVSA . COGNITA . ETSI . SCIENTIA . NON . SIT . IN FACTVM . ACTIONEM . PERMITTAM

EX LIBRO XLIII.

QVORVM BONORVM.

TIT. II.

I. (*a*) QVORVM . BONORVM . EX . EDICTO . MEO . ILLI . POSSESSIO . DATA . EST QVOD . DE . HIS . BONIS . PRO . HEREDE AVT . PRO . POSSESSORE . POSSIDES . POSSIDERESVE . SI . NIHIL . VSVCAPTVM . ESSET . QVOD . QVIDEM . DOLO . MALO . FECISTI . VTI . DESINERES . POSSIDERE . ID ILLI . RESTITVAS

QVOD LEGATORVM.

TIT. III.

I. (*b*) Quod legatorum nomine possides . AVT . DOLO . DESIISTI . POSSIDERE

(a) L. *Ait Praetor* 1 D. eod.

(b) L. *Hoc Interdictum* 1 pr. & §. 2, L. *Diversum est* 2 §. 1 D. eod.

non ex VOLVNTATE . EIVS . AD . QVEM EA . RES . PERTINET . SI . PER . BONORVM . POSSESSOREM . NON . STAT . VT SATISDETVR . id illi restituas.

NE VIS FIAT EI QVI IN POSSESSIONEM MISSVS EST.

TIT. IV.

I. (*a*) SI . QVIS . DOLO . MALO . FECERIT . QVOMINVS . QVIS . PERMISSV . MEO EIVSVE . CVIVS . EA . IVRISDICTIO . FVIT IN . POSSESSIONEM . BONORVM . SIT . IN EVM . IN . FACTVM . IVDICIVM . QVANTI RES . EA . FVERIT . OB . QVAM IN . POSSESSIONEM . MISSVS . ERIT . DABO

DE TABVLIS EXHIBENDIS.

TIT. V.

I. (*b*) QVAS . TABVLAS . LVCIVS . TITIVS . AD . CAVSAM . TESTAMENTI . PERTINENTES . RELIQVISSE . DICETVR . SIVE HAE . PENES . TE . SVNT . AVT . DOLO

(a) L. *Ait Praetor* 1 pr. D. eod.

(b) L. *Praetor ait* 1 pr. D. eod., L. *Penes te amplius* 63 D. de verb. signif. *Paul. lib.* 4. *Sentent. tit.* 7 §. 6.

MALO . TVO . FACTVM . EST . VT . ESSE DESINERENT . ITA . EAS . ILLI . EXHIBEAS ITEM . SI . LIBELLVS . ALIVDVE . QVID RELICTVM . ESSE . DICETVR . DECRETO COMPREHENDAM

NE QVID IN LOCO SACRO FIAT?

TIT. VI.

I. *(a)* IN . LOCO . SACRO . FACERE . IN VE . EVM . IMMITTERE . QVID . VETO

NE QVID IN LOCO PVBLICO VEL ITINERE FIAT.

TIT. VIII.

I. *(b)* NE . QVID . IN . LOCO . PVBLI CO . FACIAS . INVE . EVM . LOCVM . IM MITTAS . QVA . EX . RE . QVID . ILLI DAMNI . DETVR . PRAETER . QVAM . QVOD LEGE . SENATVSCONSVLTO . EDICTO . DE CRETOVE . PRINCIPVM . TIBI . CONCESSVM EST . DE . EO . QVOD . ERIT . FACTVM INTERDICTVM . DABO

(a) L. *Ait Praetor* 1 D. eod.

(b) L. *Praetor ait* 2 pr. D. eod.

II. (*a*) IN . VIA . PVBLICA . VEL . ITINERE . PVBLICO . FACERE . IMMITTEREVE QVID . QVO . EA . VIA . IDVE . ITER DETERIVS . SIT . VETO . FIAT

III. (*b*) QVOD . IN . VIA . PVBLICA ITINEREVE . PVBLICO . FACTVM . IMMISSVMVE . HABES . QVO . EA . VIA . IDVE ITER . DETERIVS . SIT . FIAT . RESTITVAS

IV. (*c*) QVOMINVS . ILLI . VIA . PVBLICA . ITINEREVE . PVBLICO . IRE . AGERE LICEAT . VIM . FIERI . VETO

DE LOCO PVBLICO FRVENDO.

TIT. IX.

I. (*d*) QVOMINVS . LOCO . PVBLICO . QVEM IS . CVI . LOCANDI . IVS . FVERIT . FRVENDVM . ALICVI . LOCAVIT . EI . QVI . CONDVXIT . SOCIOVE . EIVS . E . LEGE . LOCATIONIS . FRVI . LICEAT . VIM . FIERI VETO .

(a) D. L. 2 §. 20.
(b) D. L. 2 §. 35.
(c) D. L. 2 §. *fin.*
(d) L. *Praetor ait* 1 pr. D. eod.

DE VIA PVBLICA ET ITINERE PVBLICO REFICIENDO.

TIT. XI.

I. (*a*) QVOMINVS . ILLI . VIAM . PVBLI CAM . ITERVE . PVBLICVM . APERIRE . RE FICERE . LICEAT . DVM . NE . EA . VIA IDVE . ITER . DETERIVS . FIAT . VIM FIERI . VETO

DE FLVMINIBVS NE QVID IN FLVMINE PVBLICO RIPAVE EIVS FIAT QVO PEIVS NAVIGETVR.

TIT. XII.

I. (*b*) NE . QVID . IN . FLVMINE . PV BLICO . RIPAVE . EIVS . FACIAS . NE . QVID IN . FLVMINE . PVBLICO . NEVE . IN . RI PA . EIVS . IMMITTAS . QVO . STATIO ITERVE . NAVIGIO . DETERIVS . SIT . FIAT

II. (*c*) NE . QVID . IN . MARI . INVE LITORE . QVO . PORTVS . STATIO . ITER VE . NAVIGIO . DETERIVS . SIT . FIAT

(a) L. *Praetor ait* 1 pr. D. eod.
(b) L. *Ait Praetor* 1 pr. D. eod.
(c) D. L. 1 §. 17 D. eod.

III. (*a*) QVOD . IN . FLVMINE . PVBLICO . RIPAVE . EIVS . FIAT . SI . QVID IN . FLVMEN . RIPAMVE . EIVS . IMMISSVM . HABES . QVO . STATIO . ITERVE NAVIGII . DETERIVS . SIT . FIAT . RESTITVAS

NE QVID IN FLVMINE PVBLICO RIPAVE EIVS FIAT QVO ALITER AQVA FLVAT QVAM PRIORE AESTATE FLVXERAT

TIT. XIII.

I. (*b*) IN . FLVMINE . PVBLICO . INVE RIPA . EIVS . FACERE . AVT . IN . ID FLVMEN . RIPAMVE . EIVS . IMMITTERE QVO . ALITER . AQVA . FLVAT . QVAM PRIORE . AESTATE . FLVXIT . VETO

II. (*c*) QVOD . IN . FLVMINE . PVBLICO RIPAVE . EIVS . FACTVM . SIVE . QVID IN . FLVMEN . PVBLICVM . RIPAMVE . EIVS IMMISSVM . HABES . SI . OB . ID . ALITER . AQVA . FLVAT . ATQVE . VTI PRIORE . AESTATE . FLVXIT . RESTITVAS

(a) D. L. 1 §. 19 D. eod.
(b) L. *Ait Praetor* 1 pr. D. eod.
(c) D. L. 1 §. 11 D. eod.

VT IN FLVMINE PVBLICO NAVIGARE LICEAT.

TIT. XIV.

I. (*a*) QVOMINVS . ILLI . IN . FLVMINE PVBLICO . NAVEM . RATEM . AGERE . QVO VE . MINVS . PER . RIPAM . ONERARE . EXO NERARE . LICEAT . VIM . FIERI . VETO

II. ITEM . VT . PER . LACVM . FOSSAM STAGNVM . PVBLICVM . NAVIGARE . LI CEAT . INTERDICAM

DE RIPA MVNIENDA.

TIT. XV.

I. (*b*) QVOMINVS . ILLI . IN . FLVMINE PVBLICO . RIPAVE . EIVS . OPVS . FACE RE . RIPAE . AGRIVE . QVI . CIRCA . RI PAM . EST . TVENDI . CAVSA . LICEAT DVM . NE . OB . ID . NAVIGATIO . DETE RIOR . FIAT . SI . TIBI . DAMNI . INFE CTI . IN . ANNOS . DECEM . BONI . VIRI ARBITRATV . VEL . CAVTVM . VEL . SA TISDATVM . EST . AVT . PER . ILLVM NON . STAT . QVOMINVS . BONI . VIRI

(a) L. *Praetor ait* 1 pr. D. eod.
(b) L. *Praetor ait* 1 pr. D. eod.

ARBITRATV . CAVEATVR . VEL SATISDE TVR . VIM . FIERI . VETO

DE VI ET VI ARMATA.

TIT. XVI.

I. (*a*) VNDE . TV . ILLVM . VI . DE IECISTI . AVT . FAMILIA . TVA . DEIECIT DE . EO . QVAEQVE . ILLE . TVNC . IBI HABVIT . TANTVMMODO . INTRA . ANNVM POST . ANNVM . DE . EO . QVOD . AD EVM . QVI . VI . DEIECIT . PERVENERIT IVDICIVM . DABO

II. (*b*) VNDE . TV . AVT . FAMILIA TVA . AVT . PROCVRATOR . TVVS . HOMI NIBVS . COACTIS . ARMATISQVE . EVM DEIECISTI . EO . RESTITVAS

VTI POSSIDETIS.

TIT. XVII.

I. (*c*) VTI . EAS . AEDES . QVIBVS . DE AGITVR . NEC . VI . NEC . CLAM . NEC PRECARIO . ALTER . AB . ALTERO . POS

(a) L. *Praetor ait* 1 *pr.* D. eod.

(b) *Cicero* pro Caecina, L. *Quod est etsi* 3 D. eod.

(c) L. *Ait Praetor* 1 *pr.* D. eod. *Festus in verb.* Possess.

SIDETIS . QVOMINVS . ITA . POSSIDEATIS VIM . FIERI . VETO . DE . CLOACIS . HOC INTERDICTVM . NON . DABO . NEQVE . PLVRIS . QVAM . QVANTI . RES . ERIT . INTRA . ANNVM . QVO . PRIMVM . EXPERIVNDI . POTESTAS . FVERIT . AGERE PERMITTAM

DE SVPERFICIEBVS.

TIT. XVIII.

I. (*a*) VTI . EX . LEGE . LOCATIONIS SIVE . CONDVCTIONIS . SVPERFICIE . QVA DE . AGITVR . NEC . VI . NEC . CLAM NEC . PRECARIO . ALTER . AB . ALTERO FRVEMINI . QVOMINVS . FRVAMINI . VIM FIERI . VETO . SI . QVA . ALIA . ACTIO DE . SVPERFICIE . POSTVLABITVR . CAVSA COGNITA . DABO

DE ITINERE ACTVQVE PRIVATO.

TIT. XIX.

I. (*b*) QVO . ITINERE . ACTVQVE . PRIVATO . QVO . DE . AGITVR . VEL . VIA

(a) L. *Ait Praetor* 1 *pr.* D. eod.
(b) L. *Praetor ait* 1 *pr.* D. eod.

HOC . ANNO . NEC . VI . NEC . CLAM NEC . PRECARIO . AB . ILLO . VSVS . ES QVOMINVS . ITA . VTARIS . VIM . FIERI VETO

II. QVO . ITINERE . ACTVQVE . HOC ANNO . NON . VI . NON . CLAM . NON PRECARIO . AB . ALIO . VSVS . ES . QVO MINVS . ID . ITER . ACTVMQVE . VT . TI BI . IVS . ESSET . REFICIAS . VIM . FIERI VETO

III. (*a*) QVI . HOC . INTERDICTO . VTI VOLET . IS . ADVERSARIO . DAMNI . IN FECTI . QVOD . PER . EIVS . VITIVM . DA TVM . SIT . CAVEAT

DE AQVA QVOTIDIANA ET AESTIVA.

TIT. XX.

I. (*b*) VTI . HOC . ANNO . AQVAM . QVA DE . AGITVR . NON . VI . NON . CLAM NON . PRECARIO . AB . ILLO . DVXISTI QVOMINVS . ITA . DVCAS . VIM . FIERI VETO

(a) L. *Inde etiam illud* 3 §. 11 D. eod.
(b) L. *Ait Praetor* 1 pr. D. eod.

II. VTI . PRIORE . AESTATE . AQVAM QVA . DE . AGITVR . NEC . VI . NEC CLAM . NEC . PRECARIO . AB . ILLO . DV XISTI . QVOMINVS . ITA . DVCAS . VIM FIERI . VETO

III. (*a*) INTER . HEREDES . EMPTORES . ET BONORVM . POSSESSORES . INTERDICAM

IV. QVO . EX . CASTELLO . ILLI . AQVAM DVCERE . AB . EO . CVI . EIVS . REI . IVS FVIT . PERMISSVM . EST . QVOMINVS . ITA VTI . PERMISSVM . EST . DVCAT . VIM FIERI . VETO

V. (*b*) QVANDOQVE . DE . OPERE . FA CIENDO . ERIT . INTERDICTVM . DAMNI INFECTI . CAVERI . IVBEBO

DE RIVIS.

TIT. XXI.

I. (*c*) RIVOS . SPECVS . SEPTA . REFI CERE . PVRGARE . AQVAE . DVCENDAE CAVSA . QVOMINVS . LICEAT . ILLI . DVM NE . ALITER . AQVAM . DVCAT . QVAM

(a) *D. L.* 1 §. 29.
(b) *D. L.* 1 §. 38.
(c) L. *Praetor ait* 1 pr. D. eod.

VTI . PRIORE . AESTATE . NON . VI . NON CLAM . NON . PRECARIO . A . TE . DVXIT . VIM . FIERI . VETO

DE FONTE.

TIT. XXII.

I. (*a*) VTI . DE . EO . FONTE . QVO DE . AGITVR . HOC . ANNO . AQVA . NEC VI . NEC . CLAM . NEC . PRECARIO . AB ILLO . VSVS . ES . QVOMINVS . ITA . EA VTARIS . VIM . FIERI . VETO . DE LACV PISCINA . PVTEO . ITEM . INTERDICAM

II. (*b*) QVOMINVS . FONTEM . QVO . DE AGITVR . PVRGES . REFICIAS . VT . AQVAM COERCERE . VTIQVE . EA . POSSIS . DVM NE . ALITER . VTARIS . ATQVE . VTI HOC . ANNO . NON . VI . NON . CLAM NON . PRECARIO . AB . ILLO . VSVS . ES VIM . FIERI . VETO

DE CLOACIS.

TIT. XXIII.

I. (*c*) QVOMINVS . ILLI . CLOACAM . QVAE EX . AEDIBVS . EIVS . IN . TVAS . PER

(a) L. *Praetor ait* 1 pr. D. eod.

(b) *D. L.* 1 §. *6*. (c) L. *Praetor ait* 1 pr. D. eod.

TINET . QVA . DE . AGITVR . PVRGARE REFICERE . LICEAT . VIM . FIERI . VETO DAMNI . INFECTI . QVOD . OPERIS . VITIO SIT . FACTVM . CAVERI . IVBEBO

II. QVOD . IN . CLOACA . PVBLICA . FACTVM . SIVE . IMMISSVM . HABES . QVO . VSVS . EIVS . DETERIOR . SIT . FIAT . RESTITVAS

III. (*a*) ITEM . NE . QVID . FIAT . IMMITTATVRVE . INTERDICAM

QVOD VI AVT CLAM.

TIT. XXIV.

I. (*b*) QVOD . VI . AVT . CLAM . FACTVM . EST . QVA . DE . RE . AGITVR ID . CVM . EXPERIVNDI . POTESTAS . EST RESTITVAS

DE REMISSIONIBVS.

TIT. XXV.

I. (*c*) QVOD . IVS . SIT . ILLI . PROHIBERE . NE . SE . INVITO . FIAT . IN . EO NVNTIATIO . TENEAT . CETERVM . NVNTIATIONEM . MISSAM . FACIO

(a) *D. L.* 1 §. 15.
(b) L. *Praetor ait* 1 pr. D. eod.
(c) L. *Ait Praetor* 1 pr. D. eod.

DE PRECARIO.

TIT. XXVI.

I. (*a*) QVOD . PRECARIO . AB . ILLO HABES . AVT . DOLO . MALO . FECISTI VT . DESINERES . HABERE . QVA . DE RE . AGITVR . ID . ILLI . RESTITVAS

DE ARBORIBVS CAEDENDIS.

TIT. XXVII.

I. (*b*) QVAE . ARBOR . EX . AEDIBVS TVIS . IN . AEDES . ILLIVS . IMPENDET SI . PER . TE . STAT . QVOMINVS . EAM ADIMAS . TVNC . QVOMINVS . EAM . ILLI ARBOREM . ADIMERE . SIBIQVE . HABERE LICEAT . VIM . FIERI . VETO

II. (*c*) QVAE . ARBOR . EX . AGRO . TVO IN . AGRVM . ILLIVS . IMPENDET . SI . PER TE . STAT . QVOMINVS . PEDES . QVINDECIM . A . TERRA . EAM . ALTIVS . COERCEAS . TVNC . QVOMINVS . ILLI . ITA COERCERE . LIGNAQVE . SIBI . HABERE LICEAT . VIM . FIERI . VETO

(a) L. *Ait Praetor* 2 pr. D. eod.
(b) L. *Ait Praetor* 1 pr. D. eod.
(c) *D. L.* 1 §. 7.

DE GLANDE LEGENDA.

TIT. XXVIII.

I. (*a*) GLANDEM . QVAE . EX . ILLIVS AGRO . IN . TVVM . CADAT . QVOMINVS ILLI . TERTIO . QVOQVE . DIE . LEGERE AVFERRE . LICEAT . VIM . FIERI . VETO

DE LIBERO HOMINE EXHIBENDO.

TIT. XXIX.

I. (*b*) QVEM . LIBERVM . DOLO . MALO RETINES . EXHIBEAS

DE LIBERIS EXHIBENDIS ITEM DEDVCENDIS.

TIT. XXX.

I. (*c*) QVI . QVAEVE . IN . POTESTATE LVCII . TITII . EST . SI . IS . EAVE . APVD TE . EST . DOLOVE . MALO . TVO . FACTVM . EST . QVOMINVS . APVD . TE . ESSET . ITA . EVM . EAMVE . EXHIBEAS

(a) L. *Ait Praetor* unic. D. eod.

(b) L. *Ait Praetor* 1 *pr.* D. eod.

(c) L. *Ait Praetor* 1 *pr.* D. eod., & L. *Penes te amplius* 63 D. de Verb. signif.

II. (a) SI . LVCIVS . TITIVS . IN . PO
TESTATE . LVCII . TITII . EST . QVOMI
NVS . EVM . LVCIO . TITIO . DEDVCERE
LICEAT . VIM . FIERI . VETO

VTRVBI.

TIT. XXXI.

I. (b) VTRVBI . HIC . HOMO . QVO . DE
AGITVR . MAIORE . PARTE . HVIVSCE . AN
NI . FVIT . QVOMINVS . IS . EVM . DV
CAT . VIM . FIERI . VETO

DE MIGRANDO.

TIT. XXXII.

I. (c) SI . IS . HOMO . QVO . DE . AGI
TVR . NON . EST . EX . HIS . REBVS . DE
QVIBVS . INTER . TE . ET . ACTOREM
CONVENIT . VT . QVAE . IN . EAM . HA
BITATIONEM . QVA . DE . AGITVR . IN
TRODVCTA . IMPORTATA . IBI . NATA . FA
CTAVE . ESSENT . EA . PIGNORI . TIBI
PRO . MERCEDE . EIVS . HABITATIONIS
ESSENT . SIVE . EX . HIS . REBVS . ES

(a) L. *Deinde ait Praetor* 3 D. eod.
(b) L. *Praetor ait* unic. D. eod.
(c) L. *Praetor ait* 1 *pr.* D. eod.

SET . EA . MERCES . TIBI . SOLVTA . EO
VE . NOMINE . SATISFACTVM . EST . AVT
PER . TE . STAT . QVOMINVS . SOLVATVR
ITA . QVOMINVS . EI . QVI . PIGNORIS
NOMINE . EVM . INDVXIT . INDE . ABDV
CERE . LICEAT . VIM . FIERI . VETO

DE SALVIANO INTERDICTO.

TIT. XXXIII.

I. (*a*) Quod de his rebus possides de quibus inter dominum & colonum convenit, ut quae in fundum quo de agitur invecta, ibi nata factave essent ea pignori domino pro mercede eius fundi essent; id domino restituas.

EX LIBRO XLVI.

DE SOLVTIONIBVS ET LIBERATIONIBVS.

TIT. III.

I. (*b*) Si debitor offerat pecuniam quae petetur, creditor nolit accipere; ei creditori actiones denegabo.

(a) L. *Si Colonus ancillam* 1 *pr.* D. eod., & L. *Interdictorum quaedam* 2 §. ult. D. de Interdict. sive extraordin. actionib. (b) L. *Si debitor* 30 D. eod.

REM PVPILLI VEL ADOLESCENTIS SALVAM FORE.

TIT. VI.

I. (*a*) REM . PVPILLI . VEL . ADOLESCENTIS . SALVAM . FORE . tutorem vel curatorem satisdare jubebo.

IVDICATVM SOLVI.

TIT. VII.

I. (*b*) IVDICATVM . SOLVI . procuratorem, tutorem, & curatorem causa cognita satisdare jubebo.

RATAM REM HABERI.

TIT. VIII.

I. (*c*) RATAM . REM . HABERI . ab eo ad quem ea res pertinet, si quis stipulanti promiserit; isque postea ratum non habuerit: in eum qui promisit ex ea stipulatione actionem dabo.

(a) *Ex Tituli inscriptione*, & L. *Legitimos Tutores* 5 §. 1 D. de legit. tut., & *Instit.* de divis. stipul. §. 4.

(b) *Instit. Tit.* de satisd. pr. §. *Tutores*.

(c) *Ex Inscript. hujus Tituli*, & *Instit. Tit.* de satisdat.

EX LIBRO XLVII.

DE FVRTIS.

TIT. II.

I. (*a*) Qui furtum fecisse aut cujus OPE . CONSILIO . furtum factum esse dicetur: QVANTI . EAM . REM . PARET . ESSE . QVAE . FVRTO . ABLATA . ESSE . DICETVR . Ejus in quadruplum si furtum manifestum fuerit aut si nec manifestum, in duplum adversus eum judicium dabo.

II. (*b*) Si apud aliquem testibus praesentibus furtiva res quaesita & concepta sit; adversus eum in triplum actionem dabo.

III. (*c*) Si quis rem furtivam alteri obtulerit ea mente ut apud illum potius quam apud se conciperetur; eaque res

---

(a) L. *In furti actione* 50 D. eod., L. *Saepe ita comparatum* 53 §. 2, L. *Inter haec verba* 179, & L. *Haec verba* 193 D. de Verb. signif.

(b) *Instit. Tit.* de Obligat. quae ex delicto §. 4 *Gellius* Noct. Attic. XI. 18.

(c) *D. locis.*

apud eum cui oblata est concepta fuerit: ei cui oblata est, adversus eum qui obtulisse dicetur, in triplum actionem dabo.

IV. (*a*) Si quis furtum testibus praesentibus quaerere volentem prohibuerit, in eum actionem dabo.

SI IS QVI TESTAMENTO LIBER ESSE IVSSVS ERIT POST MORTEM DOMINI &c.

TIT. IV.

I. (*b*) Si is qui testamento liber esse jussus erit, post mortem domini ANTE ADITAM . HEREDITATEM . subripuisse aut corrupisse quid dicetur dolo malo, quominus ex his bonis ad heredem aliquid perveniret; adversus eum intra annum quo primum agendi potestas erit, in duplum actionem dabo.

(a) *Sup. d. locis.*

(b) *Ex inscript.*, & L. *Si dolo malo ejus* pr. §§. 1 & 8 D. eod.

FVRTI ADVERSVS NAVTAS.

TIT. V.

I. (*a*) In eos qui naves, cauponas, stabula exercebunt, si quid a quoquo eorum, quosve ibi habebunt, furtum factum esse dicetur, sive furtum ope consilio exercitoris factum fuerit, sive eorum cujus, qui navis navigandae, cauponae aut stabuli exercendi causa ibidem erunt, in duplum judicium dabo.

SI FAMILIA FVRTVM FECISSE DICETVR.

TIT. VI.

I. (*b*) Si familia furtum fecisse dicetur ignorante domino; ei arbitrium dabo aut omnes noxios servos noxae dedere, aut tantum praestare, quantum si unus liber furtum fecisset.

(a) L. *In eos qui naves* unic. pr. §§. 1 & 2 D. eod., L. *Licet gratis* 6, L. *Debet exercitor* 7 D. Nautae, caupon.

(b) *Ex Inscript.*, & L. *Utilissimum id Edictum* 1, L. *Quotiens tantum* 3 D. eod.

ARBORVM FVRTIM CAESARVM.

TIT. VII.

I. (*a*) Si quis arborem furtim caedere, cingere, subsecare ausus fuerit, in duplum adversus eum judicium dabo: facta praeterea aestimatione, quanti domini intersit non laedi.

VI BONORVM RAPTORVM.

TIT. VIII.

I. (*b*) SI . CVI . DOLO . MALO . HOMINIBVS . COACTIS . DAMNI . QVID . FACTVM . ESSE . DICETVR . SIVE . CVIVS BONA . RAPTA . ESSE . DICENTVR . IN EVM . QVI . ID . FECISSE . DICETVR . DE VI . BONORVM . RAPTORVM . INTRA . ANNVM . QVO . PRIMVM . DE . EA . RE . EXPERIVNDI . POTESTAS . ERIT . IN . QVADRVPLVM . POST . ANNVM . IN . SIMPLVM IVDICIVM . DABO . ITEM . SI . SERVVS FECISSE . DICETVR . IN . DOMINVM . IVDICIVM . NOXALE . DABO

(a) L. *Caedere est* 5, L. *Furtim caesae* 7, & L. *Facienda aestimatione* 8 D. eod.

(b) L. *Praetor ait* 2 pr. §§. 14 & 17 D. eod.

II. (*a*) CVIVS . DOLO . MALO . IN . TVR BA . DAMNVM . QVID . FACTVM . ESSE DICETVR . IN . EVM . IN . ANNO . QVO PRIMVM . DE . EA . RE . EXPERIVNDI POTESTAS . FVERIT . IN . DVPLVM . POST ANNVM . IN . SIMPLVM . IVDICIVM . DABO

DE INCENDIO RVINA NAVFRAGIO RATE NAVE EXPVGNATA.

TIT. IX.

I. (*b*) IN . EVM . QVI . EX . INCENDIO RVINA . NAVFRAGIO . RATE . NAVE . EX PVGNATA . QVID . RAPVISSE . RECEPISSE DOLO . MALO . DAMNIVE . QVID . IN . HIS REBVS . DEDISSE . DICETVR . IN . QVA DRVPLVM . IN . ANNO . QVO . PRIMVM DE . EA . RE . EXPERIVNDI . POTESTAS FVERIT . POST . ANNVM . IN . SIMPLVM IVDICIVM . DABO . ITEM . IN . SERVVM ET . IN . FAMILIAM . IVDICIVM . DABO

(a) L. *Praetor ait* 4 *pr.* D. eod.
(b) L. *Praetor ait* 1 *pr.* D. eod.

DE INIVRIIS ET FAMOSIS LIBELLIS.

TIT. X.

I. (*a*) QVI . INIVRIARVM . AGET . CER TVM . DICAT . QVID . INIVRIAE . FACTVM SIT . ET . TAXATIONEM . PONAT . NON MINOREM . QVAM . QVANTI . VADIMONIVM FVERIT

II. (*b*) Adversus eum qui injuriam fecisse dicetur, aut cujus dolo malo factum erit ut cui injuria fieret, si is cui facta esse dicetur, eam statim in animum revocaverit, judicium dabo.

III. (*c*) QVI . ADVERSVS . BONOS . MO RES . CONVICIVM . CVI . FECISSE . CVIVS VE . OPERA . FACTVM . ESSE . DICETVR QVO . ADVERSVS . BONOS . MORES . CON VICIVM . FIERET . IN . EVM . IVDICIVM DABO

(a) L. *Praetor edixit 7 pr.* D. eod., *Collat. Leg. Mosaïc. Tit.* de Atroc. Iniur. §. *6 Instit. tit.* de Iniur. §. 7.

(b) L. *Non solum autem* 11 *pr.* & §. 1 D. eod.

(c) L. *Item apud Labeonem* 15 §. 2 D. eod.

IV. (*a*) Si quis CONTRA . BONOS . MORES foeminam APPELLAVERIT . ASSECTATVSVE fuerit, vel ejus COMITEM . ABDVXERIT in eum judicium dabo.

V. (*b*) NE . QVID . INFAMANDI . CAVSA FIAT . SI . QVIS . ADVERSVS . EA . FECERIT . PROVT . QVAEQVE . RES . ERIT ANIMADVERTAM

VI. (*c*) QVI . SERVVM . ALIENVM . ADVERSVS . BONOS . MORES . VERBERASSE DEVE . EO . INIVSSV . DOMINI . QVAESTIONEM . HABVISSE . DICETVR . IN . EVM IVDICIVM . DABO . ITEM . SI . QVID . ALIVD FACTVM . ESSE . DICETVR . CAVSA . COGNITA . IVDICIVM . DABO

VII. (*d*) Si servus injuriam fecisse dicetur adversus dominum noxalem actionem dabo; ita ut domino facultas praestetur, servum ARBITRATV . IVDICIS . verberandum dare: aut si de eo verberibus satis non fiat, noxae dedere aut litis aestimationem sufferre.

(a) *D. L.* 15 §§. 15 *&* *seq.* *usque ad* 23 D. eod.
(b) *D. L.* 15 §. 25 D. eod.
(c) *D. L.* 15 §. 34 D. eod.
(d) L. *Sed si unius* 17 §§. 4 & 5 D. eod.

VIII. (*a*) SI . EI . QVI . IN . ALTERIVS POTESTATE . ERIT . INIVRIA . FACTA . ESSE . DICETVR . ET . NEQVE . IS . CVIVS IN . POTESTATE . EST . PRAESENS . ERIT NEQVE . PROCVRATOR . QVISQVAM . EXISTAT . QVI . EO . NOMINE . AGAT . CAVSA . COGNITA . IPSI . QVI . INIVRIAM ACCEPISSE . DICETVR . IVDICIVM . DABO

DE SEPVLCHRO VIOLATO.

TIT. XII.

I. (*b*) CVIVS . DOLO . MALO . SEPVLCHRVM . VIOLATVM . ESSE . DICETVR . IN EVM . IN . FACTVM . IVDICIVM . DABO VT . EI . AD . QVEM . PERTINEAT . QVANTI . OB . EAM . REM . AEQVVM . VIDEBITVR . CONDEMNETVR . SI . NEMO . ERIT AD . QVEM . PERTINEAT . SIVE . AGERE NOLET . QVICVMQVE . AGERE . VOLET . EI CENTVM . AVREORVM . ACTIONEM . DABO SI . PLVRES . AGERE . VOLENT . CVIVS IVSTISSIMA . CAVSA . ESSE . VIDEBITVR EI . AGENDI . POTESTATEM . FACIAM

(a) *D. L.* 17 §. 10.

(b) L. *Praetor ait* 3 *pr.* D. eod.

II. SI . QVIS . IN . SEPVLCHRO . DOLO MALO . HABITAVERIT . AEDIFICIVMVE . ALIVD QVAM . QVOD . SEPVLCHRI . CAVSA . FACTVM . SIT . HABVERIT . IN . EVM (SI QVIS . EO . NOMINE . AGERE . VOLET) DVCENTORVM . AVREORVM . IVDICIVM DABO

DE CONCVSSIONE.

TIT. XIII.

I. (*a*) Si simulato Praetoris aut Praesidis jussu concussio facta esse dicetur: ablata ejusmodi terrore restitui jubebo; & in eum qui abstulisse dicetur, uti ea res erit animadvertam.

EX LIBRO XLIX.

DE IVRE FISCI.

TIT. XIV.

I. (*b*) Bona quae solvendo non sunt, ita demum venire jubebo, si ex his Fisco acquiri nihil possit.

(a) L. *Si simulato* 1 D. eod.
(b) L. *Variae causae sunt* 1 §. 1 D. eod.

EX LIBRO L.

AD MVNICIPALEM ET DE INCOLIS.

TIT. I.

I. (*a*) Ubi municipes DOMICILIVM habere dicentur, ibi unumquemque eorum conveniri ac publicis muneribus fungi jubebo.

II. (*b*) Incolam & his magistratibus parere apud quos incola est, & illis apud quos civis esse dicetur, atque in utroque loco publicis muneribus defungi jubebo.

DE MVNERIBVS ET HONORIBVS.

TIT. IV.

I. (*c*) Honores gradatim deferri, certoque ordine, jubebo.

(a) L. *Ejus qui manumisit* 27 *pr.* & §. 1 D. eod.

(b) L. *Incola & his* 29 D. eod.

(c) L. *Ut gradatim* 11, & L. *Honor municipalis* 14 §. 5 D. eod.

VETERVM EDICTORVM
TAM VRBANORVM QVAM PROVINCIALIVM
FRAGMENTA
QVAE APVD

ALIOS AVCTORES LEGVNTVR.

I
DE IVRE DICVNDO.

(*a*) SI . PERPERAM . IVDICARIT . SENATVS . COGNOSCAM . ET . VBI . COGNOVERO . ANIMADVERTAM

II
DE FERIIS.

(*b*) DIE . NONI . POPVLO . ROMANO QVIRITIBVS . COMPITALIA . ERVNT . QVANDO . CONCEPTA . FVERINT . NEFAS

(a) *Cicero in Verrem* II.

(b) *Gellius X* 24, *Macrob. lib. 1 cap. 4 & 16. Varr.* lib. 5 D. *Ling. Lat.*

III

EX QVIBVS CAVSIS MAIORES IN INTEGRVM RESTITVANTVR.

(*a*) Si feriae extra ordinem sint indictae, ob res puta prospere gestas, vel in honorem Principis, & propterea Magistratus Jus non dixerit . CAIVS . CASSIVS . NOMINATIM . EDICEBAT . RESTITVTVRVM . SE . Quia per Praetorem videbatur factum.

IV

DE IVREIVRANDO.

(*b*) SACERDOTEM . VESTALEM . ET . FLAMINEM . DIALEM . IN . OMNI . MEA . IVRISDICTIONE . IVRARE . NON . COGAM

V

CAPVT AEDILITII EDICTI.

DE MANCIPIIS VENDENDIS.

(*c*) TITVLVS . SERVORVM . SINGVLORVM VT . EI . SCRIPTVS . SIT . COERATO . ITA

(a) L. *Sed etsi per Pretorem* 26 §. Si feriae D. h. tit.
(b) *Gellius X* 15. (c) *Gellius IV* 2.

VT . EI . INTELLIGI . RECTE . POSSIT QVID . MORBI . VITIIVE . QVOIQVE . SIT QVIS . FVGITIVVS . ERROVE . SIT . NOXA VE . SOLVTVS . NON . SIT

VI

DE ACQVIRENDA VEL OMITTENDA HEREDITATE.

(*a*) Aristo in decretis Fontanianis ita refert: cum duae filiae patri necessariae heredes extitissent; altera se paterna abstinuerat hereditate, altera bona paterna vindicaret, totumque onus suscipere parata erat . SANCTVM . CASSIVM . PRAE TOREM . CAVSA . COGNITA . ACTIONES HEREDITARIAS . VTILES . DATVRVM . RE CTE . POLLICITVM . EI . QVAE . AD . HE REDITATEM . PATRIS . ACCESSERAT . DE NEGATVRVMQVE . EI . QVAE . SE . AB STINVERAT

(a) L. *Aristo in Decretis* ult. D. h. tit.

VII

DE LEGITIMIS HEREDITATIBVS.

CVM . INTELLIGAM . LEGEM . VOCO NIAM (heredem foeminam institui nolle; *sciant Provinciales*) CVPIDITATEM . HOMI NVM . ME . OBVIAM . IRE (*Itaque*)

(*a*) QVI . AB . AVLO . POSTVMIO . Q. FVLVIO . CENSORIBVS . POSTVE . EA . FE CIT . FECERIT

SI . QVIS . HEREDEM . FECIT . FECE RIT . NEC . PETITIONEM . NEC . POSSES SIONEM . DABO

DE BONORVM POSSESSIONIBVS.

(*b*) SI . DE . HEREDITATE . AMBIGITVR ET . TABVLAE . TESTAMENTI . OBSIGNA TAE . NON . MINVS . MVLTIS . SIGNIS QVAM . E . LEGE . OPORTEAT . AD . ME PROFERENTVR . SECVNDVM . TABVLAS TESTAMENTI . POTISSIMVM . HEREDITA TEM . DABO

(a) *Cicero* Accusat. *in Verrem lib.* I *seu* Verrin. III.
(b) *Supradict. loco Cicer.* in Verrem III.

SI . TABVLAE . TESTAMENTI . NON . PRO FERENTVR ei, qui se heredem esse dicet, hereditatem dabo.

(*a*) Si Tabulae testamenti non proferentur, tum uti proximum quemque potissimum heredem esse oporteret, si is intestato mortuus esset, ita secundum eum bonorum possessionem dabo.

(*b*) SI . DE . HEREDITATE . AMBIGITVR ET . POSSESSOR . SPONSIONEM . NON FACIET .....

VIII

(*c*) .... Sic mulier IN . EDICTO . QVOD . DE ALTERVTRO . EST . cum suam explanaverit optionem ne poenitentia possit ad aliud transire, etiam satisdatione cogetur praecavere nisi si aetatis juvetur auxilio.

(*d*) Sciendum itaque est EDICTVM . PRAE TORIS . QVOD . DE . ALTERVTRO . introductum est, in EX . STIPVLATV actione ces-

(a) *Ibid.*

(b) *Ibid.*

(c) L. 7 *Cod. Theod.* de Testam. & codicill.

(d) L. *unic.* §. *Sciendum Cod.* de rei uxor. act.

sare, ita ut uxor & a marito relicta recipiat, & dotem consequatur.

IX

QVIBVS EX CAVSIS IN POSSESSIONEM EATVR.

(*a*) QVI . FRAVDATIONIS . CAVSA . LATITARIT . CVI . HAERES . NON . EXSTABIT QVI . EXILII . CAVSA . SOLVM . VERTERIT

QVI . EX . EDICTO . MEO . IN . POSSESSIONEM . VENERINT . EOS . ITA . VIDETVR . IN . POSSESSIONE . ESSE . OPORTERE . QVOD . IBIDEM . RECTE . CVSTODIRE . POTERVNT . ID . IBIDEM . CVSTODIANT QVOD . NON . POTERVNT . ID . AVFERRE ET . ABDVCERE . LICEBIT . DOMINVM . INVITVM . DETRVDERE . NON . PLACET

X

DE FLVMINIBVS.

(*b*) QVI . FLVMINA . RETANDA . PVBLICE . REDEMPTA . HABENT . SI . QVIS EORVM . AD . ME . EDVCTVS . FVERIT QVI . DICATVR . QVOD . EVM . EX . LE

(a) *Cicero* pro Coecina.
(b) *Gellius XI* 17.

GE . LOCATIONIS . FACERE . OPORTVERIT NON . FECISSE . IVDICIVM . DABO

II

EX VARIIS ET INCERTIS TITVLIS.

(*a*) Interea dies advenit; quo die sese ex instituto & lege Rupilia dicas sortiturum, Syracusis (*Verres*) edixerat.

(*b*) De Bibuli Edicto nihil movi; praeter illam exceptionem de qua tu ad me scripseras, minus gravi praeiudício in ordinem nostrum. Ego tamen habeo Ἰσοδυναμοῦσαν, (id est *ejusdem vis ac potentiae*) sed tectiorem ex Q. Mucii P. F. Edicto Asiatico; EXTRA . QVAM . SI . ITA NEGOTIVM . GESTVM . EST . VT . EO STARI . NON . OPORTEAT . EX . FIDE . BONA . Multaque sum secutus Scaevolae: in iis illud, in quo sibi libertatem censent Graeci datam VT GRAECI . INTER SE . DISCEPTENT . SVIS . LEGIBVS . Breve autem Edictum est, propter hanc meam διαίρεσιν, (id est *distributionem*)

(a) *Cicero* in Verr. IV.

(b) *Cicero lib. 6 ad Atticum epist. 1 de Edicto Proconsulari Ciliciensi.*

quod duobus generibus edicendum putavi: quorum unum est Provinciale, in quo est de rationibus civitatum; de Aere alieno; de Usura; de Syngraphis: in eodem omnia de Publicanis. Alterum quod sine Edicto satis commode transigi non potest; de Hereditatum possessionibus; de Bonis possidendis; Magistris faciundis, vendendis: Quae ex Edicto & postulari & fieri solent. Tertium de reliquo Jure dicundo ἄγραφον (id est *non scriptum*) reliqui: Dixi . ME . DE . EO GENERE . MEA . DECRETA . AD . EDICTA VRBANA . ACCOMODATVRVM

Mox sequitur. (De Publicanis quid agam videris quaerere .... Usuras eorum, quas pactionibus adscripserant, servavit etiam Servilius. Ego sic:) Diem statui satis laxam; quam ante si solverint, dico me CENTESIMAS ducturum; si non solverint EX . PACTIONE

(*a*) Interim cum ego in Edicto tralatitio, CENTESIMAS . ME . OBSERVATVRVM haberem, cum anatocismi anniversario.

(a) *Cicero ibid. lib. 5 epist. fin.*

(*b*) Quid enim reprehendi potest; nisi quod addis visum esse quibusdam Edictum meum, quasi consulto ad istas legationes impediendas esse accommodatum? Jam non tam mihi videntur injuriam facere ii qui haec disputant, quam si cujus aures ad hanc disputationem patent. Romae composui Edictum: nihil addidi, nisi quod Publicani me rogarunt (quum Samnum ad me venissent); Ut de tuo Edicto totidem verbis transferrem in meum. Diligentissime scriptum Caput est, quod pertinet ad minuendos sumptus civitatum. Quo in capite sunt quaedam nova, salutaria civitatibus, quibus ego magnopere delector. Hoc vero, ex quo suspicio nata est me exquisivisse aliquid in quo te offenderem, tralatitium est. Neque enim tam eram desipiens ut privatae rei causa legari putarem; qui & tibi non privato, & pro re non privata sua sed publica, non in privato sed publico Orbis Terrae consilio (id est in Senatu) ut gratias agerent, mittebantur.

(a) *Idem epist.* ad Appium *lib. 3 ep. 8.*

Neque cum edixi . NE . QVIS . IN . IVS SV . MEO . PROFICISCERETVR . exclusi eos qui me in castra & qui trans Taurum persequi non possent.

IVRIS QVAEDAM NOTAE APVD PROBVM ET MAGNONEM QVAE EX EDICTIS ESSE VIDENTVR.

Magnon. pag. 1487. H. B. V. P., *id est* Hereditatis bonorum-ve possessio.

Prob. pag. 1475. Q. E. R. F. E. D., *id est* Quod ejus rei factum esse dicetur.

Ibid. V. P. R., *id est* Veteri possessori redditum.

Ibid. pag. 1453. A. L. AE., *id est* Arbitrium liti aestimandae.

Ibid. pag. 1477. C. E. D., *id est* Convictus esse dicetur (*alias* Convictum, *alias* Coniunctum).

Ibid. I. D. C., *id est* Iuris dicundi causa.

Ibid. N. K. C., *id est* Non calumniae causa.

Ibid. D. M. F. V. C., *id est* Dolo malo fraudisve causa.

Magnon. pag. 1485. F. C. L., *id est* Fraudationis causa latitare.

Ibid. pag. 1491. O. D. M., *id est* Operae donum munus (*supra lib.* 38. *tit. II. n. V.*).

Ibid. pag. 1492. Q. D. R., *id est* Qua de re.

Magn. pag. 1482.
* *Prob.* pag. 1477. $\overline{\underline{\text{CC}}}$ *vel* C. C. *, *id est* Causa cognita.

Prob. pag. 1491. Q. R. F. E. V., *id est* Quod recte factum esse videbitur.

FINIS.

INDEX TITVLORVM

QVI

IN HOC EDICTO PERPETVO

CONTINENTVR.

EX LIBRO II. DIGESTORVM.

EX LIBRO III.

EX LIBRO IV.

EX LIBRO V.

EX LIBRO VI.

EX LIBRO VII.

EX LIBRO VIII.

EX LIBRO IX.

EX LIBRO X.

EX LIBRO XI.

EX LIBRO XII.

EX LIBRO XIII.

EX LIBRO XIV.

EX LIBRO XV.

EX LIBRO XVI.

EX LIBRO XVII.

EX LIBRO XVIII.

EX LIBRO XIX.

EX LIBRO XXI.

EX LIBRO XXV.

EX LIBRO XXVI.

EX LIBRO XXVII.

EX LIBRO XXVIII.

EX LIBRO XXIX.

EX LIBRO XXXV.

EX LIBRO XXXVI.

EX LIBRO XXXVII.

EX LIBRO XXXVIII.

EX LIBRO XXXIX.

EX LIBRO XL.

EX LIBRO XLII.

EX LIBRO XLIII.

EX LIBRO XLVI.

EX LIBRO XLVII.

EX LIBRO XLIX.

EX LIBRO L.

VETERVM EDICTORVM

TAM VRBANORVM QVAM PROVINCIALIVM

FRAGMENTA

QVAE

APVD ALIOS AVCTORES LEGVNTVR.